



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

603.5
P45.9
B3338U
1891



2273
78

QUÆSTIONES
PHILOSTORGIANÆ

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
A. D. XI Kal. nov. anni MDCCCXCI,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.

A. HIMLY.

Typis Mandetur
Academiae Parisiensis rector,
GRÉARD.

QUÆSTIONES
PHILOSTORGIANÆ

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

PROPOSUIT

PETRUS HENRICUS BATIFFOL

ECCLESIAE PARIENSI^Æ PRESBYTER

SANCTI LUDOVICI FRANGORUM DE URBE OLIM CLERICUS NATIONALIS



PARISIIS
TYPIS LAHURE

M D C C C X C I

c

ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY
CAMBRIDGE, MASS.

H47,490

603.5
P45.9
B333qu
1891

COMPRESBITERO · VENERABILI · HUMANISSIMO
RAIMONDO · CLEMENT
DULCISSIMÆ · CONVERSATIONIS · MEMOR
HÆC · STUDIA · ECCLESIASTICA
D. D.

ARGUMENTUM

I. DE PHILOSTORGII, SCRIPTORIS EUNOMIANI, INDOLE ET AUCTORITATE. — De eunomianæ sectæ origine, fortuna, exitio (A. D. 544-581), p. 5. — De Philostorgii eunomiani genere et vita (361-425 circ.), p. 7. — De philostorgianæ historiæ œconomia, p. 8. — De odio theologico apud Philostorgium, p. 12.

II. DE PHILOSTORGIANÆ HISTORIÆ FONTIBUS. — Philostorgius nec Eunapio, nec Olympiodoro, nec Ammiano usus est, p. 17. — Adhibuit scriptorem homœum anonymum qui in *Chronico paschali* multus est, p. 21. — De commentariis quibusdam et præsertim eunomianis quos in manibus habuit, p. 25.

III. DE PHILOSTORGIANÆ HISTORIÆ TEXTU. — Qua conditione Photius historiam philostorgianam novit, et κατ' ἐκλογὴν excerpserit, p. 28. — De codicibus mss. dictam ἐκλογὴν exhibentibus, p. 33. — De Artemii martyrio; de huius martyrii auctore sive de Ioanne monacho, et qua conditione is philostorgianam historiam excerpserit, p. 35. — De philologica genuitate textus quem tum Photius, tum Ioannes, tum Suidas exhibent, p. 42.

EX ANTHOLOGIA PALATINA

Εἰς τὴν ἱστορίαν Φιλοστοργίου.

ἌΔΗΛΟΝ

Ἱστορίαν ἐτέλεσσα θεοῦ χαρίτεσσι σοφῆσι,
πράγματ' ἀληθείης ποικίλ' ὑφηνάμενος·
(IX, 193).

ἌΛΛΟ

Γράμματα δώδεκ' ἔχει Φιλοστόργιος, οὖνομα καλόν.
Τούνεκα δὴ κατὰ γράμμῃ λόγους ἀνεγράψατο τούτους,
ἀρξάμενος πρώτου ἀπὸ γράμματος, εἶπεν ἐφεξῆς·
καὶ διὰ τῆς αὐτῶν ἀρχῆς ἐόν οὖνομα γράψας.
(*ibid.*, 194).

QUÆSTIONES

PHILOSTORGIANÆ

I¹

Alexandriæ Arius sententiam suam primo aperuerat (A. 318 circ.). Mox vero repressus ab Alexandriæ episcopo; damnatus deinde a synodo Nicæna (A. 325), in qua promulgata fuit fides quæ de Trinitate ex traditione habebatur tum Alexandriæ tum Romæ. Videlicet censuerunt patres Nicæni Verbum non dici posse κτιστὸν seu creatum, nec dici posse aliquando non fuisse, nec dici posse procedere ex alia substantia (οὐσίᾳ) ac Dei substantia. Et hæc erat antiqua fides ecclesiæ Romanæ et ecclesiæ Alexandrinæ².

Ea sententia lata, causa finita videbatur. At inter illos CCCXVIII patres Nicænos, plures Nicænae sententiæ subscripserant nec sponte sua nec sincero consensu. Peracta igitur synodo, cui quidem aperte nunquam ausi sunt contradicere, episcopi Syriæ et Asiæ minoris et Thraciæ in unam partem coire cœperunt, duce Eusebio Nicomediensi episcopo; convenerunt Tyrum et Hierosolymas (335), Antiochiam (341), Sardicam (345), depositionem Athanasii Alexandriæ episcopi requirentes simul atque symbolum fidei symbolo Nicæno substituendum, symbolo Nicæno non contrarium quidem, sed in

1. Philostorgii textum habes impressum apud Migne, *Patrolog. gr.* t. LXV, col. 459-638. Fragmenta novissime a me recognita reperies in diario romano, *Römische Quartalschrift*, anno 1889, pag. 258-286. De Philostorgii ætate et doctrina mecum consulas velim L. Duchesne, *L'Église d'Orient de Dioclétien à Mahomet*, 1881 (in diario parisino, *Revue du monde Catholique*, ann. cit.); Ad. Harnack, *Dogmengeschichte*, t. II, ed. 2^a, 1888, pag. 182-275; H. Gwatkin, *Studies of Arianism*, 1882 et *The Arian-controversy*, 1889.

2. Duchesne, *L'Église d'Orient de Dioclétien à Mahomet* (1881), p. 21.

quo de consubstantiali seu *ὁμοουσίῳ* sileretur. Hi interea episcopi non dicti sunt « Ariani », quippe cum Arii placitis parum vel minime consentirent. Sed dici solebant « Orientales », quia ex Orientis diœcesi horum potiores erant, scilicet ex hac provincia cuius metropolitana sedes erat Antiochena ecclesia¹.

Hæc interea Orientalium factio in doctrina parum cohærens erat.

Orientales *ὁμοουσίῳ* vocem reiciebant, quia vox ista in Scripturis non legitur. Inter eos tamen, huic voci tenus, multi Nicænam fidem amplectebantur. Plures autem Nicænæ fidei detrahebant. « Homoiousiani », quorum dux fuit Eusebius Nicomediensis, profitebantur non communionem sed similitudinem substantiæ seu *ὁμοίως* esse Patri et Filio. « Homœi » autem paulo posterius (circa A. 358) « similitudinem omnimodam » indeterminatam admisere, quibus Acacius Cæsareæ Palestinæ episcopus antesignanus extitit. Ex Orientalibus igitur Eusebiani et Acaciani mediam quamdam viam tenuerunt inter Alexandrinos (quibus præerat Athanasius) et propriam damnati Arii sequelam, quæ quidem Antiochena potissimum dicenda est.

Antiochiæ enim, extincto Paulo Samosateno († 270), dialecticum ingenium Antiochenæ scholæ non ita perierat. Plures vero extiterant ibidem theologi allegoricæ exegesi Alexandrinorum repugnantes et Scripturarum litterali menti devoti, Aristotelis categorias edocti magis quam Platonicis indulgentes sentiis. Talium theologorum Lucianus presbyter Antiochenus († 312) princeps fuerat : et idem discipulos habuerat Arium ipsum, et Eusebium Nicomediensem, et Asterium Scythopolitanum, aliosque Arianorum choregos. Arius itaque arcto opinionis suæ vinculo coniunctus Paulo Samosateno fuit ; Eusebiani Collucianistæ appellari gloriati sunt. Illi vero, qui Homœorum hypocrisi adversantes, Arii sententiam revocare et more magis logico recreare conati sunt, ipsi quoque Antiocheni sunt : Anomœos dico.

Anomœorum principes Aetius et Eunomius Antiochiæ florere præsertim sub Leontio episcopo (344-357). Utrique acre et rarius ingenium. Hic quidem medicinæ primum, logicæ deinde arti operam dederat, et Antiochenæ ecclesiæ diaconus a Leontio ordinatus, novitate et dialectica sermonum suorum brevi omnes obstupescerat². « Id autem agebat fretus categoriis Aristotelis³ », inquit

1. *Id.*, p. 43.

2. Philostorg., III, 15.

3. Socrat., II, 35

Socrates historicus. Eunomius vero, genere Cappadox, Aetii auditor, eandem « illam inanem disputandi rationem ab eo didicisse » dicitur¹, atque in « syllogismis et enthymematibus, immo sophisticatibus et pseudomenis atque soritis » totus fuisse². — Ambo instituti disciplina Aristotelica (mysteriorum inimicissima) dialecticum christianismum requirebant. Arius quidem Filium dissimilem Patri prædicaverat; post hunc vero Ariani de tali argumento prudenter siluerant; Aetius et Eunomius e contra sese Anomœos appellari voluere, audaces minimeque versipelles in audendo. Arius senserat Deum nec cognosci nec mente concipi posse; plerique Ariani in eandem sententiam iverant, rati hac via posse exterminari prædicamenta theologica a quibus maxime abhorrebant; Aetius et Eunomius affirmarunt Deum esse sine mysterio, et essentiam Dei simplicem esse et ideo comprehensibilem. Inde supralaudatus Socrates: « Sophisticis, inquit, categoriarum argumentationibus adhærens, Aetius assequi non potuit quomodo esset ingenita generatio et qua ratione id quod genitum est coæternum esset illi qui genuit³! » Nulla igitur esse potest communio divinitatis Patri et Filio: Pater unus divina essentia potitur. « Quam ob causam Aetius ἄθεος est cognominatus⁴ », ut divinitatem Filio denegans. Si legeris Eunomii *Apologeticum*, qui integer nescio quo casu in manus nostras pervenit, hanc eandem thesim mira dialectica propugnata reperies. Nec facile crediderim inter vetera Christianorum monumenta extare aliud quid magis coactum in sententiis vel durum in argumentis.

Antiochia diu fuit Anomœorum turris. Aetio et Eunomio Leontius fuit patronus indulgens (344-357); Eudoxius vero, Antiochiæ prius episcopus (357-360), dein Constantinopolis (360-370), Eunomii defensor extitit acerrimus. Et si ista Anomœorum secta, verissima Arii immo Pauli Samosatani sequela, neminem inter theologos christiani sensus fefellit, plurimos tamen in laqueos suæ sæcularis sapientiæ cepit quos antiqua Ecclesiæ fides minus devotos retinebat. Ita numerus creverat Christianorum, præsertim in comitatu, quos Marcus Aurelius potius quam Iesus Christus suos dicere

1. *Id.*, *ibid.*

2. Hieronym., *In Amos*, I, 1. « Ubi est serpens Arius? ubi Eunomius cohuber », ait idem Hieronym., *In Tit.* (P. L., t. XXVI, p. 586).

3. *Loc. cit.*

4. *Id.*

potuit, quibusque christianismus iste dialecticus apprime placere natus erat!

Mox vero inter Homœos et Anomœos acriter dimicatum est. Si enim, Sirmii (A. 357), fidei formula ab Ursacio et Valente proposita videtur favere doctrinæ Anomœorum, Anomœos e contra anathemate plectit synodus Ancyræ Constantii imperatoris auspiciis congregata (A. 358). Deinde Seleuciæ primum (A. 359), Constantinopoli iterum (A. 360), Homœorum factio Acacio duce victoriam adipiscitur: Constantii rogatu, ordine suo deicitur Aetius; Eudoxius Constantinopolitanæ ecclesiæ, Eunomius Cyzicenæ præficiuntur, sed post abnegatam suam doctrinam. — Postea demum (circa A. 365), sub Ioviano principe, Anomœi ab ecclesia penitus vel exterminantur vel recedunt¹. Inde ad Theodosii regnum (379), Valente haud prohibente, suos habuere episcopos, suum clerum, sua oratoria. Utraque Libya, Ægyptus, Palestina, Cœlesyria, Cilicia, Cappadocia, Galatia, Lydia, Constantinopolis totidem eunomianæ ecclesiæ diœceses evasere. Non tantummodo sua dogmata, sed et suos ritus habuere: legem antiquam baptismatis evertentes, dicentes non oportere nisi semel immergere illum qui baptizatur, baptizantes in Christi mortem. « Rident de reliquiis martyrum, exclamat Hieronymus; basilicas apostolorum et martyrum non ingrediuntur »; Catholicos appellant cinerarios et idololatras²! — Ab his, ait Sozomenus, omni parte « religio nostra non mediocriter conturbata fuit. Acres enim fiebant disputationes, novitasque maxime florebat quippe quæ haberet assertores non vulgari doctrina præditos. Ac, meo quidem iudicio, plerosque ex Catholicis in suam sententiam pertraxissent, nisi Basilius et Gregorius cappadoces sese illis opposuissent, ac nisi Theodosius imperator impetum illorum represisset, ipsosque hæreseos auctores ex amœnioribus locis imperii romani in regiones desertas et squalidas deportasset³ ».

Defuncto enim Valente imperatore et post restitutam in Orientis partibus catholicam fidem cura synodi Constantinopolitanæ (A. 381), Homœorum secta non comparuit. At Anomœorum ecclesia non ita. Admiror quantum in illos Theodosius imperator sævierit, ita ut (A. 381) præceperit « nullum Eunomianorum atque Arianorum vel ex dogmate Aetii in civitatibus vel agris fabricandarum ecclesiarum

1. H. Gwatkin, *The Arian controversy*, p. 120.

2. Theodoret, *Hæret.*, IV, 3. Hieronym., *Contra Vigilant.*, 8.

3. Sozomen., VI, 26.

copiam habere » ; necnon Arcadius (A. 396) post eum iusserit « doctores auctoresque Eunomianorum facinoris investigatos, clericosque maxime quorum furor tantum suaserat errorem, ex civitatibus pelli extorres¹ ».

Hæc fuit Anomœæ factionis seu potius ecclesiæ origo, fortuna, exitium. Ecclesiæ catholicæ graviter fuerunt et periculo et scandalo. Doctores amplissimi, Basilius, Gregorius Nyssenus, Theodorus Mopsuestenus, adversus Anomœos certatim tractatus conscripserunt. Postea Anomœorum impietas in proverbium venit. Re vera christianismus iste dialecticus Socinianismum sapit, et, teste Baronio, Anomœos iure dicere est recentiorum hæreticorum magistros.

* * *

Philostorgius extitit istius Anomœæ factionis et sectator et historicus. Illic tamen tardius adhæsit et longe post exhaustam factionis fortunam.

Auctor noster Borissi natus est, qui fuit pagus Cappadociæ secundæ. Natus est circa annum 364, ut infra patebit. Patrem habuit Carterium quemdam, quem ipse Philostorgius (IX, 9) refert fuisse Eunomii quammaxime zeloten : uxori nempe suæ, quæ tam ex paterno quam ex materno genere Nicænam fidem profitebatur, ut ad Anomœorum opinionem descisceret persuasit; et illa mariti persuasionibus inducta non ipsa solum eunomianam doctrinam amplexa est, sed etiam fratres primum ac exinde patrem necnon reliquos paulatim propinquos suos in suam sententiam traxit.

Constantinopolim Philostorgius petiit circa annum 384. Scribit enim (X, 6) se viginti annos natum in regia urbe Eunomium frequentasse : atqui ille utriusque conventus non post annum 384 contigit, cum Eunomius hoc ipso anno Constantinopoli fuerit exterminatus ultimum.

Constantinopoli versatum fuisse auctorem nostrum conicere licet e notitia rerum constantinopolitanarum quam habere videtur. Interea ignoratur quæ fuerit eius conditio. Illum rhetoricæ et philosophicæ arti operam navavisse facile crediderim. Narrat enim (X, 10) se quoque, post Eusebium et Methodium et Apollinarem aliosque, contra Porphyrium philosophum scripsisse pro Christianis. Non

1. Cod. Theodos., lib. XVI, liv. V, leg. 6 et 31.

nulla loca in eius opere rhetorem et sophistam sapiunt (e. g. II, 3 et VIII, 11); alia medicum (e. g. VIII, 10); ingenium interdum comptum satis et urbanum plura produnt. Philostorgium clericum fuisse nullibi senties, etsi in theologicis rebus versatissimum.

Scitur auctorem nostrum Constantinopoli usum fuisse Eunomii ipsius commercio et familiaritate. Unde, non solum eius scientiam et virtutem laudibus extollit, sed et oris formam et reliqua corporis membra plena decoris et venustatis describit; sermonesque qui ex eius ore profluebant margaritis comparat, quamvis balbum illum fuisse vel invitus fateatur; ad hæc ἀλφούς seu lepram quæ faciem eius turpabat ornamentum quoddam homini attulisse asserit (X, 6). Addit etiam (III, 21) se Eunomii encomium conscripsisse, quod iamdudum periisse constat, sed quo comperimus quam fervens fuerit Eunomii σπουδαστής.

Scripsit demum *Historiæ ecclesiasticæ* libros duodecim a controversiæ arianæ initiis, sive ab anno circiter 315, usque ad annum 425, quo Valentinianus iunior Honorio successit. Non ignoramus enim Eunomianos passim perseverasse post Theodosii regnum. Manebant etiam circa ann. 440, teste Socrate historico, Eunomiani ab Eunomio propagati; et vel Theodoreti tempore « clanculum occultis in domibus conventus suos celebrabant, unde Troglodytæ per modum ludibrii appellabantur¹ ». Immo in comitatu pertinacius et quasi securius perseveravisse videntur: postquam enim Theodosius plures deprehendit e suis cubiculariis Eunomii doctrinæ addictos et e palatio ciecit², testis est Synesius, Ptolemaidis in Libya episcopus, circa annum 410, Eunomianis præfuisse Quintianum quemdam Eunomianosque cum eo non mediocri auctoritate in comitatu valuisse: τοὺς ἐκ τῆς ἀθεωτάτης αἰρέσεως Εὐνομίου πυνθάνομαι, inquit ille, Κωντιανὸν ὄνομα καὶ τὴν ἐπὶ στρατοπέδου θρυλλουμένην ὑπ' αὐτῶν δυναστείαν προστησαμένους, μοι γὰρ ἔσθαι πάλιν τὴν ἐκκλησίαν, κ. τ. λ.³. Unum ex his « mœchis » fuisse Philostorgium facile crediderim.

*
*
*

Philostorgio hæc rara sors obtigit ut, in otio et dignitate, longum laborem narraret controversiarum quæ ab anno 315 ad annum

1. Socrat., II, 35. Theodoret, *Hæret.*, IV, 3.

2. Philostorg., X, 6.

3. Synes., *Epist.*, V

præsertim 381 habitæ sunt; ut laïcus circa diurnas has episcoporum discordias iudicium ferret; ut « atheus » res ecclesiasticas et theologicas conscriberet quarum materiam apprime noverat. Post exhaustam totam discriminum causam, post defunctos controversiarum auctores, cuiquam nihil debebatur nisi severa et incorrupta veritas.

Philostorgiana tamen historia non est nisi purgatio Eunomii et eunomianæ partis apologia.

Philostorgio videlicet eunomiana doctrina nobilem originem trahit e Luciani martyris schola (II, 14-15). At inter Luciani discipulos pauci doctrinam magistri non interpolarunt, si excipias « Leontium qui postmodum episcopus Antiochiæ factus est et integram atque illibatam pietatem servavit. » — Arius quidem, et ipse Luciano necessitudine aliqua coniunctus, a Philostorgio « divinis laudibus effertur in eo quod divinitatem Filii oppugnat; absurdis tamen erroribus implicari dicitur, eo quod passim affirmat Deum nec cognosci nec mente concipi posse, ... et ad huius erroris insaniam non Arium modo, verum etiam plerosque alios ea tempestate simul cum Ario abreptos esse, excepto (inter paucos) Leontio » antiocheno episcopo (II, 3). — Introducitur deinde Aetius. Eius narratur ortus, egena et dura et pura adulescentia, et qua via, ad philosophicas disciplinas animum applicans, primum quidem auditor fuit Paulini, qui ex episcopatu Tyri ad sedem antiochenam translatus fuerat, anno 328-9; postea vero, defuncto Paulino, « cum Athanasio versatus est, Luciani martyris discipulo, qui tunc Anazarbi episcopatum regebat »; et inde « Tarsum perrexit visurus Antonium, qui et ipse unus erat ex discipulis Luciani »; iterum tandem « Antiochiam reversus est Leontium auditorus, qui tunc presbyter erat Antiochiæ et unus fuerat ex auditoribus Luciani ». Sed brevi invidiæ causa Aetius Antiochia expulsus in Ciliciam proficiscitur, et « per id tempus medicinæ operam dat, in qua disciplina magistrum habet Sopolim, virum in hac arte nulli secundum »; donec Leontius, ex presbytero episcopus Antiochiæ factus, « discipulum suum Aetium ad diaconatus gradum erexit, eique mandavit ut ecclesiastica dogmata publice in ecclesia doceret ». Cumque Antiochiæ tamdiu mansisset quantum sibi sufficere iudicabat ad sacrarum disciplinarum traditionem, Alexandriam pergit ut illic Athanasio docenti docendo obsisteret (III, 15-17). — Eunomius vero, ex Cappadocia Antiochiam profectus, Alexandriam ad Aetium pergit, ubi ambo simul habitarunt,

« Aetius quidem docens, Eunomius autem sacras disciplinas percipiens » (III, 20).

Postea, dum Gallus Cæsar Antiochiæ moratur, Leontius episcopus Aetium in principis gratiam inducit. Aetius igitur « inter amicos Galli habitus est; sæpius etiam ad Iulianum missus, eo præsertim tempore quo Gallus fratrem suum ad ἐλληγνισμὸν declinare didicerat, et ut illum ab impietate revocaret ». Sed et « Gallus Aetium divinarum disciplinarum magistrum sibi adscivit » (III, 27).

Antiochiæ interea moritur Leontius (A. 357) et in eius locum succedit Eudoxius, a quo Eunomius brevi ad diaconatus gradum promovetur. Sed Basilius Ancyræ episcopus homoiousianus, ægre ferens Eudoxio traditam esse Antiochiæ ecclesiam (ipse enim « ad eam sedem cupiditatis oculos adiecerat »), Eudoxium et Aetium apud Constantium imperatorem accusat, et hunc quidem in Armeniam, illum vero in Phrygiam expelli procurat (IV, 6-8). — Mox autem Patrophilus, Scythopoleos episcopus arianus, Constantium imperatorem una cum aliis quibusdam circumvenit, fraudem et invidiam Basilii Ancyrani principi detegens. Iussu principis, Arimini et Seleuciæ ideo synodi habentur : sed Basilii et homoiousianorum insidiis omnia miscentur (IV, 10-11). — Tunc imperator universos episcopos Constantinopolim convenire iubet (360). Conveniunt Homoiousiani, quibus Basilius Ancyranus episcopus antesignanus est; simul et Anomœi, quibus præeunt Aetius et Eunomius ambo diaconi antiocheni; sed et Acacius Cæsareæ Palestinæ episcopus, « qui se cum illis (Eudoxium, Aetium, Eunomiumque puta) consentire simulabat, audax in disputationibus, acutissimus in negotiis, disertissimus in eloquio ». Fit incomparabile certamen theologorum : Basilius Aetii dialectica penitus devincitur. Sed, Acacii opera, « qui quidem aliud in pectore reconditum, aliud in lingua promptum habebat », Filius similis Patri secundum Scripturas proclamatur; episcopi homoiousiani pelluntur e sedibus suis; Aetius ipse gradu suo deponitur et in exilium eicitur (IV, 12; V, 1). — Acacii ergo seu Homœorum fraude, victoria Anomœorum evincitur : at saltem et quasi per compensationem, Eunomius, annuente Constantio, instigante Eudoxio, ordinatur episcopus Cyzici : « qui tamen hanc ordinationem suscipere recusavit, nisi prius sponsonem accepisset Aetium et exilii et depositionis sententia absolutum iri » (V, 5).

Interea tamen fit tumultus in Cyzicena ecclesia. Cyziceni namque

clerici Eunomium criminantur apud Eudoxium, tunc Constantinopolis episcopum, quod ἀνομοίωτα Patris et Filii docet, quod vetustos ritus mutat. Eunomius, defensionem suam exorsus apud clerum regiæ urbis, primum ingenti admiratione excipitur. Sed, Eudoxio apud Eunomium urgenti ut Aetii depositioni et Ariminensi symbolo suscriberet, Eunomius neutrum præstare voluit. Immo sponte sua Cyzicum dimisit (VI, 1-4).

Et paulo post, Eudoxio episcopo Constantinopolis et Euozio Antiochiæ, Aetium absolvere renuentibus, Eunomius una cum episcopis quibusdam qui nec damnationi Aetii nec Ariminensi symbolo suscribere sustinuerant, Aetium episcopum ordinarunt. Sed et alios episcopos ordinarunt, et exinde Eunomii factio suos habuit episcopos in Lydia et Ionia, in Palestina, in Galatia et Cappadocia, in Cilicia, in Libya, Antiochiæ demum et Constantinopoli (VII, 6; VIII, 2). — Eunomiana ecclesia ex omni parte propagatur, Basilio Cæsariensi, Gregorio Nazianzeno, Apollinare Laodiceno frustra obstantibus miræ facundiæ tum Aetii tum Eunomii (VIII, 11-18). Immo eunomianæ factionis pietas miraculis comprobatur: referuntur stupenda quædam miracula Aetii, Eunomii, Leontii, Candidi, Evagrii, Arriani, Florentii, præcipue vero Theophili cognomine Indi, et aliorum quorundam. Miraculis et doctrina extollitur Eunomianorum ecclesia et eunomianæ fortunæ fastigium (IX, 1).

Sed, haud mora, fatiscit schismaticum illud ædificium. Eudoxius, Constantinopolis episcopus, Valentis gratia præpotens, ab Aetio et Eunomio publice secedit, conviciis defectionem cumulans (363-364). Aetius et Eunomius urbem regiam linquere coguntur. Mox tamen, scilicet post Procopii tyranni exitium (365-366), ambo Constantinopolim regrediuntur, ibique Aetius placide moritur, « Eunomio os ei occludente, et reliqua quæ ad funus pertinent una cum eiusdem opinionis sectatoribus splendidissime procurante » (IX, 3-6). Sed Eunomius accusatur quod Procopio tyrannidem arripere meditantæ præsto fuerit, et ægre mortem ob id intentatam effugit; in insulam Naxum relegatur a Valente imperatore, inde vero in Mæsiam et postea in Cappadociam a Theodosio imperatore (X, 6). Eunomius denique, Tyanam ab Eutropio præfecto relegatus « a monachis qui illic erant servandus », ibidem moritur. Eutropius vero, « invidens Eunomii gloriæ, non permisit eius cadaver commune cum Aetio sortiri sepulcrum, licet plurimi id enixe flagitassent; sed et libros eius publicis edictis iussit aboleri » (XI, 5).

Nunc igitur, Eunomio suo ita e vivis sublato, Philostorgius sibi facile persuadet res ecclesiasticas omnino periisse, res etiam imperii undique labefieri. Oriuntur sidera nova et homines portentosi (X, 9-11); ad hæc terræ motus gravissimi, pestilentia et fames, terroresque de cælo (XI, 7); moventur Barbari (XI, 8), Roma ab Alarico petitur (XII, 3); tyranni rebellant, principes cæduntur, sol ipse deficit (XII, 8). Philostorgius, spe deiectus sua, ex omni parte perituri mundi præcurrentia mala denunciare videtur. De cætero silet : Ioannem etiam Chrysostomum ignorat!

Hæc est Philostorgiani operis œconomia et etiam virtus. De scriptore nostro dicere licet id quod de eius secta dictum est : « *Such was the new school, presumptuous and shallow, quarrelsome and heathenising, yet not without a directness and a firmness of conviction which gives it a certain dignity in spite of its wrangling and irreverence...*¹ » Immo hæc sinceritatis et constantia vis in Philostorgio ad magnanimitatem accedit. Pleraque laudes quas Aetio et Eunomio tribuit speciem veritatis optimam habent; et, in his quæ tot iræ totque odia attrectaverunt, encomio laudantis potius quam conviciis detrectantium fidem adhibere æquum est. Sed et ipse Philostorgius nec iræ nec odio pepercit, etiamque verum est de scriptore nostro id quod de Anomæorum factione supradictus auctor profert : « *... Its conservative allies it despised for their wavering and insincerity; to its Nicene opponents it repaid hatred for hatred, and flung back with retorted scorn their denial of its right to bear the Christian name.* »

..

Haud iniuria dictum est de theologis : pellem pro pelle. Et hanc ipsam legem apud antiquissimos ecclesiæ scriptores viguisse constat. Quot convicia orthodoxi nonnulli in Anomæos congresserunt! Satius erit e Nicetæ *Thesauro* quædam proferre minus nota, quæque ex Theodori Mopsuesteni tractatu *Adversus Eunomium* hausta esse conicio :

« Aetius, inquit, temerarius et facetus erat atque mimicis thymelicisque sermonibus, gestibus et cultibus indecoris oblectabatur.

1. Gwatkin, *The Arian controversy*, p. 76.

Nam veste ad nates usque sublato manibus nuda femora feriebat; alteroque pede sublato et ventre percusso pedebat. In convivii autem inter cætera ludicra his convivas alloquebatur verbis: Si vultis, docebo vos quid sibi velit dogma. Tum, tribus ventris crepitibus similibus magno cum anhelitu emissis, sic exclamabat: Ecce Orthocyllorum (hoc est Recticlaudorum) dogma (sic orthodoxos per transmutationem vocans). Deinde tribus aliis dissimilibus efflatis: Ecce, inquiebat, et nostrum. — ... Eunomii parentes liberti maiorum magni illius Basilii fuerunt, qui primis litterarum rudimentis imbutum ad scribarum amanuensiumque exercitium deduxerunt. Parentibus autem mortuis, Constantinopolim profectus, maximi nominis familiæ cuidam se addixit; eique mox dominus liberorum suorum curam demandavit. Quos pædagogi ritu in gymnasia deducens litterarum studia cum illis communia habuit, atque exinde grammaticis et rhetoricis artibus imbutus est. Cum autem cum aliquando paterfamilias in liberos nescio quid delinquentem reprehendisset, iniuriam si divulgaretur dedecori filiiis suis cessuram arbitratus, Eunomium verberibus conscissum tota urbe excedere iussit, pœnas ab eo se publice repetiturum comminatus si eum de cætero apud aliquem concivium suorum commemorari rescisceret. Eunomius itaque Antiochiam venit ubi arianam hæresim amplexus, eo nomine cum Aetio et Eudoxio familiaritatem sibi contraxit », etc., etc.¹.

Turpitudines has in medium profero ut calumniæ, quas Philostorgius in Nicænos, in Homoiousianos, in Homœos confert, non excusentur quidem, sed eleventur.

Historia philostorgiana Catholicorum perpetua sycophantia est. Athanasium fingit, cum post mortem Alexandri Alexandriæ episcopi electionem suam variantibus episcoporum suffragiis ferri in ambiguum vidisset, advolasse in basilicam Sancti Dionysii, et ibi, ianuis clausis, in præsentia aliquot suæ factionis hominum, ordinatum fuisse a duobus Ægypti episcopis quos ibidem repererat, multum licet reclamantibus ordinatoribus (II, 11). Postea vero hac tam festiva tamque iniuriosa ordinatione confirmata ab omnibus, scilicet tum a clero alexandrino tum ab imperatore Constantino, idem Athanasius dicitur ab imperatore Constantino missum fuisse Tyrum, ut ibi synodo in eius causa collectæ rationem gestorum suorum

1. Nicet., *Thesaur.*, V, 51.

redderet; sed sistere se in iudicio noluisse, scortum vero quoddam mercede conduxisse ut Eusebium Nicomediensem synodi principem stupri accusaret, utque ipse inter tumultum qui tali ex calumnia esset excitandus iudicium et condemnationem subterfugeret (*ibid.*). Atqui Arii amici, qui tot contumelias et iniusta crimina in Athanasium intulerunt, nunquam eius ordinationem in dubium adduxisse novimus. Immo certo certius novimus hanc scorti calumniam fuisse ab Arianis adversus Athanasium Tyri commotam, nedum Athanasius illam adversus Eusebium vel quemcumque alium moverit¹. Anomœus igitur noster mendacissimi testimonii in his arguendus est.

Nec dissimili petulantia in Basilium Magnum invehitur. Postquam enim eius vim et venustatem in concionibus fateri coactus est, « temerarium illum appellat nec in refutando exercitatum, eo quod, ut ait, Eunomii libris respondere ausus est ». Additque « Eunomium quinque libris adversus Basilium decertasse; Basilium vero, cum primum duntaxat librum legisset, ita gravi dolore fuisse percussum ut ex hac vita migraverit » (VIII, 12). Audiamus vero de hoc Photium patriarcham, qui ipse in manibus habuit Eunomii libros *Adversus Basilium*: « Lectum est, inquit, huius impii hominis trium librorum volumen, quod continet apologiam illarum ineptiarum quas Basilium demonstrarat reperiri in ipsius blasphemiiis. Hoc in opere parturiendo dicitur absumpsisse plures annorum olympiadas, atque vix tandem post multorum annorum intervallum, abortiando eiecisse in lucem hunc improbum ac prodigiosum fetum, quem tamdiu in ædícula sua inclusus furtivis congressibus conceperat! Quin etiam, miserum illum partum vel ipsis suæ sectæ asseclis non revelavit, veritus ne in Basilii manus veniens dissiparetur priusquam coalesceret. Igitur studiose, velut alter in fabulis Saturnus, natum textit atque abscondit devorando, quamdiu quidem Basilium in ista vita degens metum incuteret. Postquam vero vir ille divinus, peregrina habitatione relicta, in suam hoc est cœlestem patriam commigravit, vix tandem ingenti illo metu discusso, sero edendi visa est occasio, sed amicis duntaxat evulgare ausus est²! »

In Acacium, Homœorum principem, invehitur. Ille, inquit, cum esset Cæsareæ Palestinæ episcopus, adversus Eunomium commotus eo quod illum cyzicenæ ecclesiæ præfectum vidisset, Eunomium

1. Gwatkin, *Studies*, p. 85.

2. Phot., *Cod.*, 138.

criminatus est quod absque communi consensu esset ordinatus, tantumque perfecit calumniis ut Constantius imperator aures ei accommodans Eunomium Antiochiam evocaret. Inde Constantii iussu synodus habita Antiochiæ est ut synodali iudicio Eunomii causa examinaretur. At, subiungit Philostorgius, cum synodus accusatorem requireret, nullus usquam apparuit : Acacius enim metu percussus, quippe qui existimaverat sola apud imperatorem calumnia inimicum a se penitus oppressum iri, in altissimo silentio permansit (VI, 4). — Atqui Philostorgii commentum, de quo nihil reperies apud cæteros rerum ecclesiasticarum scriptores, a Philostorgio ipso confutatur. Ipse enim (VI, 5) nos docuit Eunomium, Eudoxio urgente, Cyzicum dimisisse et ad patriam suam Cappadociam se recepisse. Insuper, si Eunomii causa in antiochena synodo audienda venit, et si accusator nullus contra Eunomium verba fecit, absolutionis sententia ferenda fuit : atqui talis sententiæ nullum indicium comparet vel apud Philostorgium ¹.

Ne Eudoxio quidem parcat, etsi ille Anomæorum factioni et doctrinæ nimis patienter vel timide indulserit. Illum enim fatetur fuisse moribus mitem atque modestum, immo solertiæ non mediocris; sed ipsum traducit ob « ignaviam et timiditatem », quin etiam ob patrem eius Cæsarium nomine, quem martyrem fuisse dicit « licet in amores mulierum effusior fuerit » (IV, 4). Et has pœnas repetit Philostorgius noster ab Eudoxio eo quod, « post multas laudes in Eunomium congestas, non modo nihil eorum quæ Eunomio promiserat perfecit, sed etiam ei persuadere conatus sit ut depositioni Aetii suscriberet et Homæorum fidei » (VIII, 4). Nec dissimili causa Theodosium episcopum vel « ardentissimum dogmatis Eunomianorum amatorem » insectatur. Illum namque non erubescit insimulare quod et ipse « ad lascivos mulierum amores desciverit » (VIII, 3). Sed quare ita episcopo suæ partis calumniatur? Quia is Aetio in Lydia episcopos anomæos ordinanti acriter obstiterat (VIII, 4).

Eunomianus noster nulli pepercit eorum quos adversarios suis fuisse noverat, et ne his quidem qui eunomianam fortunam invicto tenore per bonam ac malam famam non erant secuti. Scripsit non tam historiam ecclesiasticam quam vindicias eunomianas. Et, ut

1. Tillemont, *Hist. eccl.*, VI, 507 : « Ce récit de Philostorge dont nous ne trouvons rien dans tous les autres auteurs, se combat encore luy-mesme ».

qui scriberet res victæ factionis, scripsit historiam plenam irarum. Itaque, si quidquid habet verisimile et decorum, de Aetio et Eunomio et Leontio et Theophilo Indo et quibusdam aliis suæ partis sectatoribus libentissime recipiendum esse videtur; quidquid habet criminum adversus Catholicos et Semiarianos et Homœos suspectissimæ fidei dicendum est. Cave theologi secretam perfidiam. In illo omnia in apologiam vel in calumniam facilius convertuntur, et silentium ipsum non caret studio¹.

1. *Bulletin de correspondance hellénique*, 1887, p. 88, iuris publici factus est titulus quidam funebris repertus in Hermi valle intra Lydiæ fines a v. cl. Fondrier. Hunc titulum (*ibid.*, p. 311-314) interpretatus est v. cl. Duchesne, et ipse auctor fuit titulum esse Macedonii Apolloniæ in Lydia episcopi, qui sub Constantio, Juliano et Valente floruit, quique in epitaphio suo dicitur acriter Anomæis restitisse, scilicet κατὰ τοῦ ἀνομοίου... ἐν πολλοῖς τοῖς ὑπὲρ Χριστοῦ διωγμοῖς ἀπενεγκάμενος κλέος. Vide egregiam magistri dissertationem, in qua illud monumentum epigraphicum theologis sat ignotum in claram lucem editur, et simul Anomæorum doctrina et fortuna breviter referuntur.

II

In supradictis, ut materia postulabat, exposui quibus partibus adhæsit Philostorgius et quibus studiis fuit devotus. Ad secundam veniendum est quæstionem et iuxta disputationis meæ ordinem inquirendum quibus e fontibus scriptor noster materiam suæ *Historiæ ecclesiasticæ* hauserit. Si in investigandis fontibus divinatio investigantis facilius fallitur, si plerosque fontes ignorare necesse est, certe ex his quæ scite nosci queunt auctoritas hæretici nostri non minuitur.

* * *

In investigandis Philostorgii fontibus v. cl. Ludovicus Jeep multus quidem fuit, felix minus: sibi enim facilius persuasit tum Eunapium tum Olympiodorum Philostorgio innotuisse. — Eunapius quidem, qui paulo post annum 414 obiit, *Romanæ historiæ* libros quatuordecim scripserat, quibus continebatur historia romana inde a Claudii II decessu (A. D. 270), in quem Dexippi *Chronica* desierant, usque ad Arcadii annum decimum (A. D. 404). Olympiodorus vero scripserat *Sermones XXII historicos*, quibus res annorum ferme octodecim continebantur, inde ab Honorii anno decimo tertio (A. D. 407), usque ad annum quo Valentinianus imperio potitus est (A. D. 425)¹. — « Philostorgios, ait Jeepius, seine Nachrichten des Profangeschichte nach Eunapios gearbeitet zu haben » videtur; idemque « hat nicht allein den Eunapios benutzt, sondern auch Olympiodoros² ».

In utroque (pace viri clarissimi dicam) fallitur Ludovicus Jeep. Sæculo quarto exeunte plurimi extitere rerum scriptores:

1. Cf. C. Müller, *Fragm. histor. gr.*, t. IV, p. 7 et 57.

2. C. Jeep, *Quellenuntersuchungen zu den griechischen Kirchenhistorikern* (*Jahrbücher für class. Philologie*, XIV, 1885), p. 57 et 73.

« Sane et hac tempestate audio a nonnullis historiam scribi », ait Eunapius ipse¹. Inter quos Eunapius viam quamdam singularem ingressus est. Historiæ suæ enim materiam ita distribuit ut in libro primo compendiarie ratione res percurreret quæ a Claudio labuntur ad Iulianum Cæsarem (A. D. 271-355), narrationem deinde ampliaret in rebus Iuliani, Valentis, Theodosii et Arcadii enarrandis (355-404), inter quas tamen Iuliani regnum magnificaret. Is namque Eunapio visus est quasi candidus Græcorum Apollo, reliqui vero non nisi sordidum vulgus monachorum. Eunapius insuper, ut erat rhetor, omnis chronologiæ omnisque historiæ ἀκριβεία; ex industria contemptor evasit, animo « impio » methodum perversam cumulans². Mirum itaque esset si Philostorgius, christianus rerum scriptor, materiam suæ historiæ ecclesiasticæ ex Eunapii pagani commentariis declamatoriis hausisset.

Eunapius, ut erat christianis principibus infestissimus, Theodosium summopere reprehendit : Θεοδοσίος, inquit, ὁ βασιλεὺς ἐκμελής ἦν καὶ πάσῃ ῥαθυμίᾳ ἐκκειμένος... Ἴλλοι οἱ ἄρχοντες τῶν πολεμίων ἦσαν πολεμικώτεροι... Τότε ἦν ἐπισκοπεῖν Theodosium μηδένα τρόπον ἀμελούμενον κακίας καὶ ἀκολασίας εἰς τὴν κοινὴν τῶν πραγμάτων διαφθοράν.... Et alia eiusmodi³. Philostorgius e contra Theodosio gratulatur quod, cum regnasset annis sexdecim, ad summum fastigium humanæ felicitatis pervenerit quamdiu imperavit, obieritque illustris post victorias, totius imperii romani monarchiam obtinens, imperium filiis duobus relinquens seditionis expers, in suo denique lecto placida morte sublatus, atque τοῦ θερμοῦ (μοιδοκῶ) κατὰ τῶν εἰδώλων ζήλου τοῦτο γέρας ἐξενεγκῶν! Hæc Philostorgius (XI, 2). Subiungit tamen Theodosium morbum contraxisse τοῦ ὑδέρου ob intemperantiam vitæ et ob immodicas delicias, ἀκρασίᾳ βίου καὶ τρυφῆς ἀμετρίᾳ. Quid hoc autem ad Eunapii convicia? ¹ure meliore v. cl. Ludovicus Mendelssohn, novissimus Zosimi editor, animadvertit: « Quod Philostorgius (XI, 2) in Theodosio ἀκρασίαν βίου καὶ τρυφῆς ἀμετρίαν notavit, ex Eunapio hoc habuerit non oportet: immo popularem uterque secutus esse potest famam, gentilium Eunapius, Arianorum Philostorgius, qui utrique satis causæ habebant cur Theodosio infensi essent⁴. »

1. Eunap., *Fragm.* 73 (ed. Müller).

2. C. Müller, *op. cit.*, p. 8.

3. Eunap., *Fragm.* 48, 49.

4. Zosim., *Hist. nov.*, IV, 50 (ed. Mendelssohn, p. 207).

Urget Jeepius, et, collationem instituens inter Zosimum (Eunapii plerumque narrationes ille compilavit) et Philostorgium, asserit Zosimum et Philostorgium ex eodem fonte, ex Eunapio videlicet, hausisse ea quæ uterque refert de cæde Rufini necnon de cæde Eutropii. — « Philostorgii (XI, 6) de Eutropii exitu narrationem (quam ab aliis discrepare ipse animadvertit Photius) cum Jeepio ex Eunapio derivari posse nego », inquit Ludovicus Mendelssohn : « nam et causa exitii plane diversa est et tempora discrepant, cum Philostorgius ante Gainæ Trigibildique tumultum Eutropium mortuum ponat¹. » — Subiungit vero idem Ludovicus Mendelssohn : « Contra in ipsis Gainæ Trigibildique rebus narrandis fieri potest ut Philostorgius in summa re Eunapium secutus sit ». Illud autem equidem nego. In Gaina enim summæ rerum p̄eracta est Constantinopoli (A. D. 394-400), et Philostorgii narratio oculatum testem prodit: Τὸς ἐπ' ἐμὲ γεγενημένους χρόνους τασύτη φθορὰ γέγονεν ἀνθρώπων, ὅσῃν οὐδεὶς χρόνος ἐξ αἰῶνος ἔγω, κ.τ.λ. (XI, 7-8). Immo, quod ad rem maius est, christianum testem prodit : narrat namque, cum Gaina ex Asia reversus Constantinopolim occupare conaretur, ὅτι οὐράνια τις ἔνοπλος ἐπιφανείσα δύναμις... τὴν πόλιν τῆς ἀλώσεως ῥύεται, ἐκείνους δὲ φωραθέντας ταῖς ἀνθρωπίναις δίκαις ἐξέδωσι... Talia Eunapium paganum minime sapiunt! — De Rufini cæde, quæ Constantinopoli A. 395 contigit, haud ita consentit Philostorgius (XI, 3) Zosimo (V, 7) ut credi possit ex Eunapio suam narrationem hausisse : in his e contra Philostorgius locupletior et comptior multo est quam Zosimus ; et horum libenter crediderim Philostorgium oculatum exitisse testem, nedum ex alio materiam suam fuerit mutuatus : Εὐμύχης, inquit, ὁ Πουφίνος ἦν..., ὁ δὲ Ἀρχάδιος βραχὺς τῷ μεγέθει καὶ λεπτός τῇ ἔξιν... καὶ τὸ χρωμα μέλας, κ.τ.λ., quæ in Zosimo non comparent, quæque scriptorem Rufini et Arcadii æqualem et testem produnt.

Patet inde quam levia sint Ludovici Jeep argumenta.

Idem etiam contendit Philostorgium plurima ex Olympiodoro hausisse. At in ea quidem Olympiodori parte quam Zosimus excerpit (Olympiodori enim opus periit) gravissimæ inter Philostorgium et Olympiodorum sunt discrepantiæ, consensus autem non maior quam qui non potest non intercedere inter duos scriptores æquales eisdem de rebus scribentes. Hæc Ludovicus Mendelssohn². Ad hæc,

1. *Ibid.*, p. 235.

2. *Ibid.*, p. 248.

si conferas Olympiodori fragmenta quæ supersunt cum excerptis Philostorgianis quæ in manus nostras tradita sunt, consensum utriusque nusquam reperies, nec in vocibus nec in sensu. Diversitas autem utriusque auctoris multa patet. Hinc Olympiodorus Stilichonis cædem « sanguinaria immanique manu Olympii » procuratam lamentatur (I, 2) : inde vero Philostorgius Olympio gratulatur quod ad occidendum Stilichonem operam commodaverit, optime de Honorio meritus (XII, 1). Stilichonem ob virtutem extollit Olympiodorus, Philostorgius vero acriter perstringit ob alia multa et præsertim ob affectatam tyrannidem. Si Olympiodoro fidas, Alaricus evocatus est a Stilichone ut Honorio Illyricum armis teneret, et ideo, vivente etiam tunc Stilichone, accepit centenarios quadraginta mercedem militiæ (I, 3-5); si vero Philostorgio, Alaricus evocatus est a Stilichone per prodicionem in Italiam, et ab ipso Stilichone ei claustra Alpium sunt reserata (XII, 2). Si Olympiodoro, Attalus Ravennam profectus, inde ab Honorio proscribitur, postquam summis digitis dexteræ manus truncari iussus ab imperatore est (I, 14); si Philostorgio, idem Attalus, cum Romam advenit, inde ab Honorio in insulam Liparam relegatur, postquam duobus digitis abscindi ipse sponte sua facti pœnitens postulavit (XII, 5).

Quæ cum ita sint, nego Philostorgium notitiam rerum occidentalium ex Olympiodoro hausisse.

*
*
*

De cætero tempora sedulo distinguenda sunt.

In rebus enim Constantinianis enarrandis (325-337) Philostorgius adhibuit *Historiam ecclesiasticam* Eusebii Cæsariensis, quam perductam fuisse ait ad ea usque tempora quibus liberi Constantini in patris imperium successerunt (I, 2); unde patet Philostorgio usui fuisse non *Historiam ecclesiasticam* Eusebii tantum, sed etiam *Vitam Constantini* ab eodem Eusebio conscriptam. Plura tamen de se ipso addidit, veluti ea quæ refert de Constantini obitu et testamento (II, 16), quæque, ab aliis historicis sive gentilibus sive christianis memorata nusquam, calumniæ crimen non effugiunt.

In rebus Theodosii et Arcadii (395-408) necnon Theodosii iunio-

ris (408, sqq.), Philostorgius (mea quidem sententia) ipse sibi fons esse videtur, ut qui res sui temporis enarret.

In rebus Valentis (364-378) vel saltem in referenda principis morte, conspicua mihi videtur Philostorgii, Socratis et Ammiani concordia. Socrates videlicet, postquam narravit Valentem iuxta Adrianopolim occubuisse prælio : « Alii, inquit, eum incendio periisse tradunt cum in vicum quemdam confugisset, quem supervenientes barbari concremarunt. Alii vero eum abiecto imperiali habitu in medium agmen peditum se coniecisse et ibi ignotum occubuisse » (IV, 38). Hæc scripsit Socrates circa annum 438. Ammianus vero, qui scripsit circa annum 383 : « Alii, inquit, dicunt Valentem animam non exhalasse confestim, sed ... ad agrestem casam relatum et circumsessum ab hostibus qui esset ignorantibus, dedecore captivitatis exemptum : flamma enim supposita ædificium cum hominibus torruerunt. » Philostorgius demum ita : « Valens, ait, cursu fugam arripuit... Tum agresti casa qua fenum conditum erat, una cum paucis qui ipsum sequebantur, sese occultavit. At barbari qui eum persequabantur, tum obvia quæque, tum tugurium illud incenderunt, nihil penitus de imperatore suspicati » (IX, 17). Ammianum Socrati innotuisse non est quod negem, Philostorgio secus. Ammianus enim duplicem de Valentis morte traditionem refert ignorareque videtur ultra sit potius recipienda : Philostorgius e contra traditionem unam tenet, et hanc ornatam magis.

In rebus Constantii et Iuliani adhibuit insigne monumentum, quod v. cl. H. Gwatkin recognovit in *Chronico paschali* sæpius et sincerius recitatum, quodque idem censuit esse ab homæo auctore anonymo, Valentis imperatoris (364-378) tempore, conscriptum¹. Sed quoniam doctus ille vir inquirere non curavit utrum dictum opus Philostorgio innotuerit annon, operæ pretium est argumentum revocare et ampliare.

* * *

Inter diversa documenta quæ *Chronici paschalis* auctor in opus suum compilavit, videlicet kalendaria et fastos et chronica vetera (e. g. Iulii Africani, Eusebii) et scripta ecclesiastica (e. g. Tertul-

1. Gwatkin, *Studies*, p. 215-218.

liani, Clementis Alexandrini, Epiphani, Cyrilli, Dionysii pseudo-Areopagitæ, etc.), passim detegere est vestigia scripti cuiusdam anonymi ariani. Hæc Cangius denuo observavit in his quæ de Leontio antiocheno et de Meletio item antiocheno referuntur ab auctore dicti *Chronici paschalis*. Henricus vero Gwatkin in pluribus aliis locis *Chronici paschalis* vestigia recognovit eiusdem scriptoris ariani anonymi. Videlicet :

— Ad annum 337 : — Quæcumque ab auctore *Chronici paschalis* referuntur de Constantii imperatoris pietate et munificentia : Ἀκούσας Κωνσταντίου ἐν τῇ ἀνατολῇ κ. τ. λ.

— Ad annum 350 : — Leontii episcopi antiocheni encomium : Ὁ μακάριος Λεόντιος κ. τ. λ.

— Iterum ad annum 350 : — Relationem Nisibeni obsidii, et item cladis quam passus est rex Persarum Sapor quæque per virtutem Constantii procurata est, sicut per epistolam quamdam Volagesi Nisibeni episcopi auctor accepisse profitetur : Σάπωρις δὲ ὁ τῶν Περσῶν βασιλεὺς κ. τ. λ.

— Iterum ad annum 350 : — Quomodo Constantius Vetranionem honorifice relegavit et Magnentium profligavit, ita ἐν πᾶσι τῇν ὁ θεὸς μετὰ Κωνσταντίου εὐοδῶν αὐτοῦ τὴν βασιλείαν; incipit Κωνσταντίου του αὐγούστου κ. τ. λ.

— Ad annum 351 : — Quomodo Hierosolymis crux visa est eo tempore quo Constantius cum Magnentio manus consereret, ita Deo victoriam imperatori prænuntiante : Τὸ δὲ σημεῖον τοῦ σταυροῦ κ. τ. λ.

— Iterum ad annum 351 : — Quomodo Constantius Gallum Cæsarem creavit et adversus Persas Antiochiam misit : Κωνσταντίου αὐγουστος μόνος κ. τ. λ.

— Ad annum 354 : — Quomodo Magnentius sibi necem intulit : Μαγνέντιος πάλιν συμβαλὼν κ. τ. λ.

— Ad annum 355 : — Quomodo Gallus Cæsar, ἐκ διαβολῆς pessimæ et quasi invito Constantio, sublatus est; cui Iulianus suffectus est : Γάλλος ὁ καὶ Κωνσταντίου κ. τ. λ.

— Ad annum 360 : — Quomodo Eudoxius constantinopolitanæ ecclesiæ præficitur, pulso Macedonio, ab arianæ partis episcopis in synodum congregatis; et quomodo post synodum ab Eudoxio celebrata sunt encænïa magnæ ecclesiæ constantinopolitanæ quam Constantius munificentissime perfecerat : Μακεδόνιος Κπόλεως ἐπίσκοπος καθήρεθη κ. τ. λ.

— Ad annum 361 : — Quomodo, Iuliano rebellante, Constantius obiit baptizatus ab Euozio antiocheno episcopo : Ἰουλιανὸς τετάρτης ἰνδ. κ. τ. λ.

— Ad annum 362 : — Quomodo, defuncto Constantio, pax ecclesiarum a Iuliano opprimitur; relatio passionum diversorum piorum virorum, qui pro fide interempti vel vexati sunt iussu Iuliani, puta Georgii Alexandrini, Patrophili Scythopolitani, Cyrilli Heliopolitani et plurimorum inter quos Artemius dux Ægypti; sed et aliquot aliorum qui, a fide turpiter deficientes, lapsus pœnas mox dederunt, inter quos Theotecnus et Heron : Ἰουλιανὸς γνοῦς Κωνσταντίου κ. τ. λ.

Hæc sunt fragmenta ab auctore *Chronici paschalis* recitata, in quibus Constantii encomium perpetuum et Homœorum episcoporum indeficiens laus abunde testantur horum fragmentorum scriptorem fuisse unum ex homœæ partis sectatoribus. Unde sic Henricus Gwatkin : « *These stories are not of Nicene origin. Neither are they Macedonian. Sabinus of Heraclea seems to have written only on the councils; and no Macedonian writer would have stigmatized the exiles as deposed ἐπὶ διαφόροις ἀτόποις κκκδοξίαις. Neither do they seem to come from Anomœan sources... The writer then was a Homœan, and therefore of the reign of Valens, or very little later, before Homœans ceased to be¹.* »

His prælibatis, certo mihi certius est scriptorem hunc homœum anonymum Philostorgio fuisse notum.

Exempli gratia, Philostorgius (VII, 13) refert Heronem quemdam, ex Ægypto episcopum, tempore Iuliani ad gentilium superstitionem descivisse, et subito morbo correptum miserrime periisse. Atqui hanc eandem narrationem, eisdem vocibus expressam immo sermone minus declamatorio et circumstantiis magis topicis, apud scriptorem homœum anonymum reperies. — Philostorgius deinceps refert Theotecnum quemdam, eodem tempore, et ipsum ad hellenismum descivisse, nec dissimili via ad æterna supplicia transmissum fuisse, Deo has meritas exigente pœnas. Atqui hanc etiam narrationem, eisdem vocibus expressam, concisiori vero sermone accommodatam, apud scriptorem homœum anonymum reperies.

1. *Id.*, p. 218.

Utriusque narrationis textum hic habes :

Anonym. homœus :

Τότε καὶ Ἦρων οὕτω λεγόμενος τις θηβαῖος ἐπίσκοπος αὐτομάτως ἀπέστη ἐν τῇ Ἀντιοχείῳ πόλει τυγχάνων, ὃν ἡ παραδοξοποιὸς τοῦ θεοῦ δύναμις εἰς παράδειγμα καὶ φόβον πολλῶν τιμωρίας εἰσεπράξατο· ἔρημον γὰρ αὐτὸν καταστήσας πάσης κηδεμονίας καὶ σηπεδόνος νόσον ἐμβαλὼν ἐν ταῖς πλατεταῖς φερόμενον ἐκψύξει δημοσίῃ ἐνώπιον πάντων ἐποίησεν.

Καὶ Θεότεκνος δὲ τις πρεσβύτερος τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκκλησίας ἐξ ὑποσχέσεως ἀπατηθεὶς αὐτομάτως ἐπὶ τὴν εἰδωλολατρειαν ἐχώρησεν, ὃν ὁ θεὸς ἐτιμωρήσατο παραχρήμα τρόπῳ τοιούτῳ· σκοληκόβρωτος γὰρ γενόμενος καὶ τὰς ὄψεις ἀποβαλὼν καὶ τὴν γλῶσσαν ἐσίλων, οὕτως ἀπέθανεν.

Utriusque auctoris comparatio pluribus in locis confirmat sententiam meam, scilicet homœum scriptorem in usum Philostorgii devenisse. Narrat nempe Philostorgius (III, 26) tempore Constantii crucem visam fuisse in cœlo Hierosolymis, et illud prodigium vult præaugurium fuisse victoriæ quam Constantius adeptus est in Magnentium tyrannum. Quin etiam vult prodigium illud, quod Hierosolymis visum est, etiam ab utroque exercitu clare conspectum fuisse in Pannonia, prodigium prodigio cumulans! Atqui hæc eadem portentosa assertio apud homœum scriptorem anonymum legitur.

Anonym. homœus :

Καὶ τῇ αὐτῇ ὥρᾳ ὤφθη ἐν Παννονίᾳ Κωνσταντίῳ τῷ αὐγούστῳ καὶ τῷ σὺν αὐτῷ στρατῷ ὄντι ἐν τῷ κατὰ Μαγνέντιον πολέμῳ

Philostorgius :

Ἦρωνά τινα ἐκ Θηβῶν ὀρμώμενον καὶ εἰς ἐπισκόπους τελέσαντα, εἶτα πρὸς ἑλληνισμὸν μεταβαλόντα, παραχρήμα νόσος σηπεδωνώδης ἀπέλαβε, καὶ πᾶν καταβοσκηθεῖσα τὸ σῶμα, βδέλυγμα πᾶσιν ὑπέδειξεν. Ὁ δὲ πανταχόθεν ἀπορούμενος ἐν τοῖς ἀμφοδοῖς κατέκειτο, μηδ' ὄντινα οὖν μηδαμῶθεν ἔλκων ἔλεον, τῶν μὲν Χριστιανῶν παντελῶς αὐτὸν ἐκτρεπομένων, τῶν Ἑλλήνων δὲ μέχρι τοῦ καθυποβαλεῖν αὐτὸν τῇ πλάνῃ μόνον αὐτὸν ἐγνωκότων. Ἄλλ' ὁ μὲν Ἦρων πικρῶς οὕτω καὶ παναθλίως τῆς ζωῆς ἀπελήλαται.

Καὶ Θεότεκνος δὲ τις πρὸς τὸν ἑλληνισμὸν ἀπορρῦεις, πᾶσαν ἀθρόως τὴν σάρκα διασάπεις καὶ σκοληκῶν ὕλη γεγονώς, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπ' αὐτῶν ἐξορυθεὶς, τελευτῶν εἰς μανίαν ἐτρέπη, καὶ τὴν ἑαυτοῦ γλῶτταν καταφαγών, ἐκ πικρῶν βασιάνων εἰς πολὺ χυλεπώτερα παρεπέμφθη κολαστήρια.

Philostorgius :

Τὸ δὲ σελασφόρον ἔκεινο καὶ σεβάσιον θέαμα οὐδὲ τοῖς ἐπὶ τοῦ στρατοπέδου ἀθέατον ἦν, ἀλλ' ἐπιδήλιος ὀρώμενον, Μαγνέντιον μὲν καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ, ἅτε τῇ τῶν δαιμόνων θεραπείᾳ προσανακειμένους, εἰς ἀμήχανον δέος κατέστησε, Κωνσταντίον δὲ καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν εἰς θάρσος ἄμαχον ἀνεκτήσατο.

Unde coniciendi locus est hypomnema illud homœi scriptoris a Philostorgio fuisse declamatorie amplificatum.

Sed quoniam integram utriusque textus collationem inire longum est, satis erit indicasse quibus in locis Philostorgius anonymi chronici verba recitare videtur :

Philostorg., III, 2	=	Anonym., ann. 337.
» III, 22	=	» ann. 350.
» III, 23	=	» ann. 350.
» III, 25	=	» ann. 351.
» III, 26	=	» ann. 351-354.
» III, 28	=	» ann. 355.
» IV, 1-2	=	» ann. 355.
» VI, 5	=	» ann. 361.
» VII, 2	=	» ann. 362.
» VII, 4	=	» ann. 362.
» VII, 13	=	» ann. 362.

Philostorgius igitur e scriptore illo homœo hausit quidquid encomio Constantii imperatoris, quidquid Iuliani detractioi conferbat. Omisit quidquid Homœorum laudi iste protulit. Insuper, ut paulo supra innui, verba dicti scriptoris declamatorie amplificasse dicendus est, quæ etiam modo concisiore ab auctore *Chronici paschalis* recitata videntur.

Interea dolendum valde est scriptorem hunc homœum, qui res Constantii et Iuliani conscripsit, periisse nomini tenus. Idem enim ille, non Philostorgio tantum, sed et Socrati et Sozomeno et Theodoro (mea quidem sententia) usui fuit; et concordia quæ in rebus Constantii et Iuliani describendis inter Philostorgium et Socratem et Sozomenum et Theodoretum sæpius deprehenditur, nonnisi hac communione fontis intelligi datur.

* *

In enarrandis rebus ecclesiasticis et præsertim eunomianis, Philostorgius hæreticos fontes adit quos plerique scriptores catholici ignoravere. Ipse (III, 21) testatur se encomium Eunomii conscrip-

sisse : encomium illud periit, sed mirum valde esset si huius panegyrici materia tota non transisset in *Historiam ecclesiasticam*, et si Philostorgius panegyrici illius argumentum non hausisset ex Eunomii vel eius amicorum familiaritate quam habuerat. — Nonus historiæ Philostorgianæ liber plurima miracula continebat ab Aetio, Eunomio, Leontio, et aliis eiusdem sectæ optimatibus patrata. Unde conicere licet Eunomianam ecclesiam suos habuisse hagiographos, quos « eiusdem impietatis furor ostentabat », quosque Philostorgius exploratos habuit (IX, 1). — Inter ista Eunomianæ officinæ encomia et apologetica, *Gesta Theophili Indi* præsertim digna sunt quæ laudentur, cum fragmenta plura in Philostorgianum opus transiis certo certius videantur. In his agebatur de Ilomeritarum seu Sabæorum inferioris Arabiæ conversione, quos ad fidem christianam a Theophilo traductos fuisse referebatur; narrationi subiungebantur mirabilia multa de regionibus Indorum. Ad hæc, Theophilus Antiochiam reversus, ibidem Eunomii doctrinæ adhæserat, et, post Anomæorum recessum ab ecclesia communi, episcopus Cœlesyriæ factus ab Eunomio fuerat. Et ille gratia curationum maxime præditus. « Quæ quidem talis ac tanta in eo fuit, ut eam nemo verbis explicare possit, quippe qui imago quædam fuerit apostolorum : aiunt etiam eum aliquando Antiochiæ ludæam quamdam ex mortuis suscitasse ». Subiungitque Philostorgius : « Id autem affirmat Thallassius, qui cum illo diutissime versatus est et in huiusmodi rebus extra suspicionem est mendacii » (ap. Suidam, s. v. Θεόφιλος).

Philostorgius in manibus habuit scripta pleraque tum Aetii, tum Eunomii, quæ Theodosium imperatorem scimus comburenda decrevisse. Scilicet Aetii ὁμιλίας et συγγραφάς (V, 1); Eunomii *Apologeticum* (V, 1); eiusdem λόγους et præsertim epistulas (X, 6)¹. Forsan et in libro sexto suæ *Historiæ* recitavit sermonem quem Eunomius, iussu Eudoxii, ad populum constantinopolitanum habuit in festo Theophaniarum, quemque Photius vehementissime impudentiæ et caliginis arguit (VI, 2).

Acta Luciani martyris, quæ a semiariano scriptore post annum 350 conscripta fuisse constat, quæque a Metaphraste et purgata sunt et recitantur, a Philostorgio adhibentur (II, 12-14). — Item Asterii semiariani rhetoris commentarios seu γράμματα et λόγους Philostorgius noverat (II, 15; IV, 4).

1. Cf. Phot., *Cod.* 137-158.

Utrum adhibuerit an non collectionem actorum synodaliū quam digessit Sabinus, Macedonianæ partis historicus, quamque Socrates noster sæpius recitat et confutat, mihi compertum non est. Interdum tamen laudantur a Philostorgio *Acta* synodi Ariminensis (IV, 10 ; X, 2). Item *Acta* synodi Seleuciensis, additis epistolis Eudoxii et Aetii (IV, 11). Item *Acta* synodi Constantinopolitanæ (A. 360) ab Acacio digesta ac disposita (IV, 12 ; X, 2). Insuper enumerare est Eudoxii epistulas (VII, 5 ; VIII, 7) et Demophili orationes seu commentarios (ap. Suidam, s. v. Δημόφιλος).

Athanasii demum libros ignorat Philostorgius. At Basilii Magni et Gregorii Nazianzeni opera varia, præcipue vero tractatus adversus Eunomium (VII, 11-12), necnon Apollinaris Laodiceni tractatus contra eundem et contra Porphyrium nominat (VIII, 12-14).

Hi quidem fontes sunt bonæ notæ, et historicum faciunt melioris frugis. Ex his enim mores et consilia et instituta et gesta suæ partis Philostorgius scite novit et scite docet. Apage scriptoris calumnias quas quidem notare facile tibi est : at testimonia hæc sedulo recipe. Rebus ecclesiasticis quarti sæculi rite iudicandis, discernendis, probandis, non parum conferunt veritatis.

Hactenus de Philostorgii indole et auctoritate.

Disputandum tertio est de usu qui fuit eius *Historiæ ecclesiasticæ* inter scriptores catholicos græcos tum antiqui tum medii ævi. Porro tam amplæ inquisitionis argumentum brevius et iure bono absolvam, si statim censuero non iterum esse disputanda quæcumque iam ab aliis tractata sunt. Vir doctus F. A. Holzhausen nos iampridem monuit auctorem nostrum nec Socrati, nec Sozomeno, nec Theodoretō innotuisse¹. Contra virum cl. A. Guldenpenning demonstratum iterum fuisse mihi persuadeo Philostorgium Theodoretī in manus non venisse². Iampridem etiam Henricus Valesius ad calcem editionis suæ quæcumque loca Philostorgiana recitantur apud Suidam collegerat; item quæ recitantur a Niceta. Quæ cum ita sint, restat ut verba ex professo faciam de Photio patriarcha et de Ioanne monacho, qui ambo nono sæculo Philostorgianæ historiæ ampla excerpta fecere: in quibus excerptis explorandis totam hanc tertiam quæstionem absolvam.

* * *

Photius, patriarcha Constantinopolitanus, vir infortuniis ecclesiasticis clarus sed bonis litteris clarior, cum, adhuc iuvenis necdum curis implicatus pontificalibus, in sæculo vitam ageret quasi monasticam, amplissimam instituerat in ædibus suis bibliothecam vel

1. F. A. Holzhausen, *Commentatio de fontibus quibus Socrates, Sozomenos ac Theodoretus in scribenda historia sacra usi sunt*, 1825.

2. A. Guldenpenning, *Die Kirchengeschichte des Theodoret von Kyrrhos*, 1889. Cf. *Bulletin critique*, 1891, p. 246-248.

potissimum academiam. Hæc, inquit, in sua ad Nicolaum papam apologia, « sine lacrymis commemorari nequit! Me enim domi manentem tunc gratissima voluptatum oblectatio complectebatur, cum circumspicerem discentium industriam, interrogantium studium, adloquentium exercitationem. Is enim chorus domus meæ chorus erat¹. » Et illud ipsum eius adversarii ei in culpam vertere haud semel tentavere, quasi si tali instituto texisset nescio quid iniquitatis retiaculum, quo simplicium mentes caperet quotquot ita conveniebant apud illum disciplinæ litterariæ causa². Ad hæc Photius immensam pro tempore et omnigenam δυσσευρέτων librorum collegerat copiam. Immo, ut ista librorum copia εις τὸ χρεωδεις maxime verteret, ἀναγνώσεις seu recitationes instituerat. "Ηιτησας, aiebat ipse ad Tarasium fratrem scribens, τὰς ὑποθέσεις ἐκείνων τῶν βιβλίων οἷς μὴ παρέτυχες ἀναγιωσκομένοις γραφήναι σοι, ἵν' ἔχῃς... ὦν οὕτω εις ἀκόας ἡμῶν ἀνέγνωσ εἰ καὶ διατυπωτικὴν τινα καὶ κοινοτέραν τὴν ἐπίγνωσιν ταῦτα δὲ ἐστι σπ',... τοσαῦτα γάρ, οἶμαι, τῆς σῆς οὐ τυχόντι παρουσίας ἀναγνώσθηναι συνέπεσεν³. Apparet inde apud Photium conventus exitisse in quibus de libris disserebatur, ita ut Tarasio contigerit et ἀναγιωσκομένοις παρατυγχάνειν et aliorum εις ἀκόας ἀναγινώσκειν.

Photianarum recitationum ὑποθέσεις ad nos usque pervenerunt in libro qui inscribitur *Myriobiblon*, ubi, inter varias variorum librorum hypotheses, hypothesis comparat *Historiæ ecclesiasticæ* Philostorgii (cod. 40).

« Lecta est, inquit, Philostorgii Ariani *Historia ecclesiastica*... Incipit ab Aarii studio in hæresim ac primo incepto usque ad Aetii impiissimi hominis revocationem.... Et hæc quidem historia uno volumine sex libros complexa ad hoc usque tempus progreditur.... Hæc quidem in præsens legimus. At post non diu in alio volumine sex reliqui libri reperti sunt, ut exitisse totum opus in libris duodecim videatur : quorum librorum principes litteræ si connectantur, scriptoris Philostorgii nomen conficiunt. Pervenit ad Theodosii usque minoris tempora, ac tum desinit cum, mortuo Honorio, Theodosius Romani imperii scepra Valentiniano minori, Placidia et Constantini filio, patrueli suo tradidit. »

1. Photii, *Epistolæ*, I, 2. — 2. Nicet. *Vita Ignatii* (Mansi, XVI, 229). Anastas. biblioth., *Præfat. in VIII synod.* (Mansi, XVI, 5).

3. Phot., *Myriobiblon*, præm.

Subiungit Photius censuram libri: « Philostorgius, inquit, narrat fere contraria omnibus ecclesiasticarum rerum scriptoribus, laudibus extollens quos novit Arianismo infectos, conviciis vero orthodoxos perfundens, ita ut eius historia non tam historia quam encomium hæreticorum videatur, atque nudum orthodoxiæ vituperium.... Interea auctor mendax est et fabulis minime abstinens. Extollit potissimum doctrinam Aetii et Eunomii, quasi soli repurgassent religionis dogmata pro tempore contaminata; extollit etiam gesta Eusebii Nicomediensis quem magnum nominat, et Theophili Indi et aliorum plurium. Reprehendit in primis Acacii, Cæsareæ Palestinæ episcopi, severitatem intolerandam et inexpugnabilem versutiam.... Gregorio tamen Nazianzeno parcat cuius eloquentiam vel invitus laudat. Sed Basilio Magno calumniam texere conatur, qua tamen clariorem reddit virum; temerariumque eundem appellare non veretur quod controversiarum rudis, ut ait, ausus sit Eunomium scriptis oppugnare. » — Pergit denique Photius grammatico magis more: « Stylus Philostorgio ornatus et poeticas non iniucunde adhibens λέξεις. Figurata lectio (τροπή) non sine emphasi gratiam et suavitatem addit, nisi quod interdum temerariis τροπαίς usus vel nimium detortis in sermonem frigidum et importunum incidit. Sermo illi interea ornatur varie, sed et ad satietatem, ita ut in obscuritatem trahatur auditor (ἀκροατής). Loquitur sententiose plerumque, at non incommode ». Ita Photius ad ἀκροατὰς suos.

Illud ad hæc animadvertas velim in *Myriobiblo* Photiano non unum inesse ἀνχγνώσεων genus. Hinc videlicet profert Photius argumenta librorum quos contigit in præsentia discipulorum recitari, et hæc ipsa argumenta edit prout ἡ μνήμη δέισωσεν. Inde vero ampliores multo librorum notitias atque ex ipsis codicibus (κατ' αὐτὰ τὰ τεύχη) descriptas in forma excerptorum seu ἐκλογῶν. Photius postquam argumentum libri in ὑποθέσεως forma edidit, non dedignatur iterum revocare lectorem suum in auctores antea recitados, et notitiam, quam transcurrente prius quasi memoriter redegit, secundis curis ampliari, scilicet excerptendo seu κατ' ἐκλογήν. Exempli gratia, Ioannis Philoponis commentarium in Hexaëmeron hinc recenset (cod. 43), inde autem excerptit (cod. 240). Philostratus eodem modo hinc recensetur (cod. 44), inde excerptitur (cod. 241). Similiter Agatharchides (cod. 213 et 250), necnon Hierocles (cod. 214 et 251).

Genus illud excerptorum humile genus fuit litterarum, solemne vero nec vile grammaticis ævi Byzantini, præsertim noni et decimi sæculi. Constantinus imperator Porphyrogenitus similium excerptorum auctor evasit non ignobilis. Cui certe non cedit Photius patriarcha. Immo eclogæ Photianæ grammatici haud mediocris ingenii unguem exhibent. Auctorum nempe τοὺς ὠραιοτέρους λόγους Photius acute selegit et ita περιηθισμένους διὰ τῆς ἐκλογῆς in chrestomathiam suam introducit. Atque, ut est historiarum et doctrinarum et vel fabularum curiosissimus indagator, ἔκδοσιν ἀποθησαυρίζει mirabilium et rariorum λόγων. Eclogæ Photianæ hominem politæ phrasis exhibent; interdum tamen defectibus et mendis, anacoluthis et hiatibus laborant, quasi processerint non tam e studioso scribentis calamo, quam ex abrupto recitantis eloquio, seu ἀπὸ φωνῆς grammatici in schola docentis. Excerptor denique vocem non raro tollit, ut libri excerpti doctrinam vituperet vel laudet, λέξεις notet, sententias inter se conferat, commentatoris plus quam excerptoris personam agens. In hunc modum ἐκλογὴν ἔδρεψεν ἐκ τῶν Eulogii, Ephræmii, Stephani Gobari, Methodii, Aristidis, aliorumque, inter quos Philostorgium addas velim.

Ad nos enim pervenit ἐκλογὴ seu ἐπιτομὴ ἐκ τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἱστοριῶν Φιλοστοργίου, quæ dicitur fuisse exarata ἀπὸ φωνῆς Φωτίου πατριάρχου. Neque iniuria Photio nuncupatur. Etenim dicta ἐκλογὴ redacta fuit eadem prorsus methodo ac cæteræ Photianæ ἐκλογαὶ quas supra memoravi. Excerptorem prodit mirabilium curiosum, orthodoxarum sententiarum zeloten, rerum ecclesiasticarum et civilium apprime studiosum. Moratur in enarranda Theophili legatione ad Homeritas et Auxumitas (III, 4, 6), in depingendis animalibus orientalium partium (III, 11), in paradisi situ requirendo (III, 10), in portentis et prodigiis magnificandis (X, 9 et 11; XII, 8 et 9). Sedulo notat quidquid contra fidem Nicænam ὁ δυσσεβὴς Philostorgius profert et contra orthodoxos patres calumniatur. Nec interea negligit quidquid insolentium laudum congerit in arianæ partis sectatores. Haud dissimili ratione ac in pluribus *Myriobibli* eclogis.

Pressius etiam Photius Photio insistit :

Myriobiblon, cod. 40.

...ὡς συμπληροῦσθαι αὐτοῦ τὴν σύμπασαν πραγματείαν ἐν λόγοις ἰδ', ὧν αἱ ἀπαρχαὶ συντιθέμεναι τὸ τοῦ συγγραφέως ἀπαρτίζουσι Φιλοστοργίου ὄνομα.

Ἐξάιρει τοὺς Ἀρειανίζοντας ἅπαντας, λοιδορίας πλύνει τοὺς ὀρθοδόξους, ὡς εἶναι τὴν ἱστορίαν αὐτοῦ μὴ ἱστορίαν μᾶλλον, ἀλλ' ἐγκώμιον μὲν τῶν αἰρετικῶν, ψόγον δὲ γυμνὸν καὶ κατηγορίαν τῶν ὀρθοδόξων.

Philostorgius, proœm.

"Ὅτι ἐν δώδεκα λόγοις αὐτοῦ ἡ ἱστορία περαίνεται, ἀπαρτίζοντων αὐτοῦ τοῦνομα τῶν ἐκάστου λόγου ἀρχομένων γραμμῶν ἐν τάξει συντιθεμένων.

Ἡ δὲ ἱστορία τῶν αἰρετιζόντων ἐστὶν ἐγκώμιον αὐτῶ, ὡσπερ καὶ τῶν ὀρθοδόξων διαβολὴ καὶ ψόγος μᾶλλον ἢ ἱστορία.

Quærenti vero cur ista ἐκ τῶν Φιλοστοργίου ἐκλογὴ extra *Myriobiblon* vagans remanserit, respondendi copia multa datur. Operis enim Photiani (*Myriobiblon* dico) textus nobis exhibetur duplici tantum codice; uterque codex recentioris ævi est, XIII^o scilicet sæculi; uterque multis in locis mendosus et lacunosus; uterque demum ex eodem descriptus archetypo. Insuper, si cuilibet textui attendamus, numerus librorum quos legit Photius evadit incertus. Incertus etiam ordo ἀναγνώσεων. Nobis igitur in hac inconstantia constitutis coniciendi licentia est nostram ἐκ τῶν Φιλοστοργίου ἐκλογὴν minime prohiberi quin aliquando locum suum habuerit intra *Myriobibli* fines, et exinde fuisse a nescio quo exterminatam, sive impietas Philostorgii novissimum Photii ὑπογραφῆς offenderit, sive qualicumque alia de causa. — Aliunde autem non sine aliqua veritatis ratione conicere est nonnullas extitisse ἐκλογάς, et has ab ore Photii, quæ nunc in *Myriobiblo* leguntur, ab origine vero extravagantes fuisse editas : ita cod. 235 ('Ανεγνώσθη ἐκ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Μεθοδίου καὶ ἐπισκόπου τοῦ περὶ τῶν γενητῶν ἐκλογὴ κατὰ σύνοψιν), 236-39 ('Ανεγνώσθησαν ἐκ τῆς Πρόκλου χρηστομαθείας γραμματικῆς ἐκλογαί), etc. Et hæc ipsa Procli *Chrestomathia* reperitur in nonnullis codicibus seorsim extra *Myriobibli* fines vagans. Non est igitur quod miremur si epitome nostra ἐκ τῶν Philostorgii sortem habuerit singularem.

Quæ cum ita sint, supradictæ epitomes ἀπο φωνῆς Φωτίου auctoritas in dubium adduci nequit.

De textu huius epitomes breviter sententiam aperire est.

Iacobus Gothofredus primus omnium typis mandavit et publici iuris fecit epitomen photianam ἐκ τῶν Philostorgii, Genevæ, anno 1643. Paulo post autem Henricus Valesius eandem epitomen recensuit, in melius restituit, et ad calcem *Historiarum ecclesiasticarum* Theodreti, Evagrii et Theodori edidit, Parisiis anno 1673. Textus valesianus recusus est Moguntiæ sive Francofurti 1679, Amstelodami 1695, Cantabrigiæ 1720 (auctore Reading), Taurini 1748, Parisiis 1864 (auctore Migne).

Codices autem manuscripti dictæ epitomes hi sunt :

O^{1]} Oxoniensis bibliothecæ Bodleianæ signatus inter codices Baroccianos numero 142, chartaceus sæculi XIV ineuntis, fol. 243-261. Hunc contuli Oxonii mense septembri 1887. De eodem disseruerat v. cl. Carolus de Boor (*Zeitschrift für Kirchengeschichte*, tom. VI (1884), p. 479, sqq.), in tractatulo cui titulus : *Zur Kenntniss der Handschriften der griechischen Kirchenhistoriker*.

O^{2]} Oxoniensis alter eiusdem bibliothecæ signatus inter Gerardi Langbainii adversaria numero 20, chartaceus sæculi XVII, fol. 254-484. Hunc inspexi Oxonii eodem tempore. Animadvertit Langbainius ipse, pag. 255 ineunte, illud apographum fuisse a se descriptum e codice Barocciano supradicto.

O^{3]} Bochartianus non comparet. Huius mentio fit in Samuelis Bochart *Hierozoïco*, II, 55 (edit. Londinensi 1663, t. I, p. 662), in Stephani Le Moyne *Variis sacris*, n° 379 (edit. Lugdun. Batav. 1685), denique in notis Henrici Valesii, qui dicto apographo usus est et ad eius lectiones continuo provocat. E Valesii notis constat apographum Bochartianum fuisse descriptum e codice Barocciano, et insuper in se recepisse emendationes aliquot eruditas nec contemnendas manu ipsius Bochart ut videtur. In indice τῶν *Ouvrages avec notes mss. de Bochart que possède la bibliothèque de Caen*, manu Letronne descripto¹, adnumeratur « Philostorg. ed. Gotho-

1. Paris, suppl. gr. 1005, fol. 2 sqq.

fredo » ; idemque doctissimus Letronne descripsit scholia a Samuele Bochart exemplari suo genevensi adscripta « Philostorg. ed. Gothofred. cum notis mss. Bocharti¹ ».

V¹] Venetus bibliothecæ Marcianæ signatus inter codices Bessarioneos numero 337, membranaceus sæculi XV, fol. 353-370. Hunc contuli Romæ mense decembri 1887.

V²] Bernensis signatus numero 54, olim Bongarsii, chartaceus sæculi XVI, fol. 1-53. Hunc contuli Romæ mense februario 1888.

V³] Londinensis musæi Britannici, signatus inter codices Harleianos numero 3116, chartaceus sæculi XVI, fol. 1-42. Hunc contuli Londini mense octobri 1887.


V⁴] Scorialensis signatus Y. I. 2 sive apud b. m. Millerum numero 292, chartaceus sæculi XVI, fol. 521-566. Fuit olim Mendozæ Venetiis, de quo consule b. m. C. Graux, *Essai sur les origines du fonds grec de l'Escurial* (1880), p. 395. Postea à Luca Holstenio collatus est ad textum genevensem; Holstenius vero suas « Scorialensis codicis lectiones » Valesio commodavit; et hanc collationem una cum eiusdem Holstenii aliquot correctionibus reperies in codice Parisino græco 3113 (fol. 97-159). Hæc Holsteniana adversaria inspexi mense octobri 1889.

M] Florentinus bibliothecæ Laurentianæ signatus inter codices Medicæos numero LXX, 5, chartaceus sæculi XV, fol. 63. Nonnisi fragmentulum duplex tum libri XII, 10, tum libri III, 9. Illud in meum usum, qua est in me singulari benevolentia, describere dignatus est v. cl. Lud. Duchesne Florentiæ pro tempore degens.

Horum codicum genealogiam, ut opinor, detexi et detectam exposui (*Römische Quartalschrift*, tom. IV (1890), p. 134-143) in dissertatione cui titulus : *Die Textüberlieferung der Kirchengeschichte des Philostorgius*. Fragmentum florentinum præbet lectiones nonnullas singulares nec ita videtur ab eodem typo pendere ac cæteri omnes codices : attamen minimi ponderis totum est. Codices tum Oxoniensis alter tum Bochartianus descripti sunt e codice Barocciano. Bernensis vero et Londinensis et Scorialensis descripti sunt e codice Bessarioneo. Editio genevensis tota pendet a codice Bernensi. Editio autem Valesiana præbet textum geneven-

1. *Ibid.*, fol. 6-9.

sem correctum ope lectionum Scorialensium et Bochartianarum. Unde sic brevius est in schemate :



$V^2 = \text{Edit. Genevensis.}$
 $V^4 + 0^2 + \text{Edit. Genevensis} = \text{Editio Valesiana.}$

Editio igitur critica, si qua futura est epitomes Photianæ ex τῶν Philostorgii, haurienda erit fere tota e codice Oxoniensi Barocciano, non insalutato tamen codice Bessarioneo. Ego vero, collatis tum Barocciano tum Bessarioneo codicibus, nonnisi mediocre bravium editori futuro spondere paratus sum.

Hæc de Photio patriarcha. Ad Ioannem monachum venio.

* * *

Inter acta diversa sanctorum quæ Metaphrastis nomine decorari solent extat *Martyrium sancti et magni Artemii*, quod quidem manuscriptum in bibliothecis frequens est, impressum vero prodiit græce apud Mignium¹. Illud πόνημα Metaphrasticum incipit in his : Μετὰ τὴν τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν εἰς οὐρανοῦς ἀνάληψιν.

Prædictum vero martyrium, ut mos est Metaphrasticis, totum haustum fuit ex actis quibusdam antiquioribus, quæ nunc etiam comparent, quæque græce vulgata sunt a b. m. Angelo cardinali Maio². Hæc acta incipiunt in his : Τὰ τοῦ μεγάλου καὶ ἐνδόξου μάρτυρος Ἀρτεμίου διηγεῖσθαι. Titulum vero præ se ferunt sequentem : Ὑπόμνημα ἡγουν ἐξήγησις τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου μεγαλομάρτυρος καὶ

1. P. G., CXV, 1160-1212.

2. *Spicilegium romanum* (1840), t. V, p. 340. Transiere inde in Bolland., *Acte sanctorum octobris*, VIII, 856.

θαυματουργοῦ Ἀρτεμίου συλλεγὲν ἀπὸ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας Φιλοστοργίου καὶ ἄλλων τινῶν περὶ Ἰωάννου μοναχοῦ.

Et quoniam de hoc pseudo-martyre Artemio tum Tillemontius tum auctor Bollandianus in sententias discordes iverunt, opportunum mihi visum est causam iterum audire et ampliare. Quis igitur fuerit iste Artemius, quis Ioannes monachus, qui demum fontes, τοῦ ὑπομνήματος, locus datur novis curis investigandi.

Unus fuit Artemius dux Ægypti eo potissimum tempore quo Georgius Cappadox arianæ partis episcopus, pulso Athanasio, sedem alexandrinam iniuria occupavit (356-361). Artemius ille una cum Georgio episcopo auctor fuit evertendi Serapei quod erat Alexandria: Κατέλαβεν scilicet ὁ στρατηγὸς τῆς Αἰγύπτου τὸ ἀγιώτατον τοῦ θεοῦ τέμενος, ἀποσυλήσας ἐκεῖθεν εἰκόνας καὶ ἀναθήματα καὶ τὸν ἐν τοῖς ἱεροῖς κόσμον..., ἴσως Γεώργιον μᾶλλον ἢ τὸν Κωνσταντῖον δεδοικώς, ut refert Iulianus imperator¹. At post mortem Constantii, post cædem Georgii violentis Gentilium manibus enecat, idem Artemius zeli sui pœnas dedit: « Tunc et Artemius ex duce Ægypti, Alexandrinis urgentibus atrocium criminum mole, supplicio capitali multatus est »: hæc Ammianus². Plura vero testimonia apertissime declarant Artemium fuisse, non tantum Georgio ariano coniunctissimum, sed et ariana peste infectum: in primis Ammon, episcopus Ægyptius qui tempore Theophili episcopi floruit quique apprime res in Ægypto sub Constantio gestas viderat, testatur Artemium multum fuisse in persecutione Catholicorum, episcoporum nempe et monachorum et virginum; immo e vita sancti Pachomii comperimus Artemium ducem omnia esse scrutatum ut in Athanasium exulantem manum iniceret, et ideo in Tabennicam solitudinem cum militibus processisse; ubi monachi quidam rogati cum illo orare id officii præstare recusasse narrantur cum Ariano fidei catholicæ adeo inimicissimo³. Ignoratur interea quo loco Artemius dux supplicium subierit.

Alterum vero novimus Artemium, depositum scilicet Constanti-nopoli in basilica eius nomine dicta Sancti Artemii, cuius « reliquiæ sanitatem eis qui cum fide ad ipsum accedunt restituere » dice-

1. Iulian., *Epistul.*, X.

2. Amm., *Res gest.*, XXII, 11, 2.

3. Tillemont., *Hist. eccl.*, VII, 731-733. *S'il faut regarder Artème comme un Aricn ou comme un Martyr.*

bantur¹. Artemius iste in Menologio Basiliano (IX^o sæc.) thaumaturgi immo martyris cognomine decoratur: at antiquioribus martyrologiis prorsus ignoratur. Eius insuper sanctitatis fama antiqua dici nequit: templum enim dictum Sancti Artemii erectum antea fuerat titulo Sancti Ioannis Præcursoris ab Anastasio quodam Dicoro et ubi Anastasius iste « cum *protasecretis* adhuc esset » habitavit, ut refert Georgius Codinus; « postquam vero reliquiæ sancti Artemii eo translatae fuere, nomen eius sancti templo est impositum². » Anastasius ille Dicorus aliunde ignoratur; officium vero τοῦ *protasecretis* non sæculo sexto prius compa-
risse libenter crediderim. Festum denique Artemii istius martyris in Menologio Basiliano adscribitur diei octobris vigesimo, quem fuisse anniversarium encæniorum Anastasianæ basilicæ libenter etiam crediderim. Idem illud Menologium refert Artemium sub Iuliano Antiochiæ fuisse martyrio coronatum: quod quidem ita repugnat Iulianæ historiæ sat bene notæ, ut affirmandi merito copia detur locum tempusque martyrii prorsus ignorari.

In Artemio autem thaumaturgo pietas græca ad fabulam conversa est. Finxit enim quidam Artemium istum thaumaturgum non alium esse ac Artemium ducem. Deinde dux ille Ægypti, omni hæreseos labe purgatus, in sanctorum canonem relatus est. Quo rerum tempore fabula hæc orta sit breviter dicam.

Ab Arianis originem non traxit. Anonymus arianus, cuius vestigia in *Chronico paschali*, de Artemio hæc refert: 'Αρτέμιος δὲ δούξ ὦν τῆς κατ' Αἴγυπτον διοικήσεως, ἐπειδήπερ ἐν τοῖς καιροῖς τῆς αὐτοῦ ἀρχῆς ἐπὶ τοῦ μακαρίου Κωνσταντοῦ τοῦ αὐγούστου ζῆλον πολὺν ὑπὲρ τῶν ἐκκλησιῶν ἐνεδείξατο, ἐν τῇ Ἀλεξανδρέων ἐδημεύθη καὶ τὴν κεφαλὴν ἀπετμήθη, μνησιμακῆσαντος αὐτὸν τοῦ Ἰουλιανοῦ³. Constantius μακαρίτης hic dicitur, et ipse Artemius propter ζῆλον πολὺν ὑπὲρ τῶν ἐκκλησιῶν extollitur! Sed Artemius iste nec sanctus nec martyr prædicatur.

Neque ab antiquis nostris rerum ecclesiasticarum scriptoribus fabula vulgata est. Artemius dux, nominatim quidem, ab uno Theodoreto memoratur: Ἀρτέμιον δέ, inquit, στρατηγὸς δὲ οὗτος τῶν ἐν Αἰγύπτῳ στασιωτῶν ἐγεγόνει, ἐπειδὴ πλείστα τῶν εἰδώλων

1. Ita Basilii imp. in *Menologio* (20 oct.).

2. Codin., p. 90 (ed. Bonn.).

3. *Chron. pasc.*, c. l. Bonn., I, 549.

συνέτριψε τὴν ἀρχὴν ἐκείνην ἐν τοῖς Κωνσταντίου χρόνοις λαχών, οὐ μόνον τῶν ὄντων [Iulianus] ἐγύμνωσεν, ἀλλὰ καὶ τῆς κεφαλῆς τὸ λοιπὸν ἐστέρησε σῶμα. Ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα δέδρακεν ὁ πρῶταπος καὶ ὄργῆς ἐγκρατέστατος παρὰ τῶν δυσσεβούντων ὀνομαζόμενος¹! Theodoretus nempe, Artemius Iuliano apostatæ odiosus extitisse videtur propter idolomachiam, et ideo fuisse capite diminutum a principe quem mitissimum Gentiles prædicabant. Atqui ne in hoc ulla martyrii mentio fit. — Theophanes chronographus, qui anno 818 obiit, de Artemio ipsa *Chronici paschalis* verba recitat: Ἀρτέμιός τε ὁ δούξ τῆς κατ' Αἴγυπτον διοικήσεως, inquit, ἐπειδὴ περ ἐπὶ Κωνσταντίου ζῆλον πολὺν κατὰ τῶν εἰδώλων ἐνεδείξατο, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐδημεύθη τὴν κεφαλὴν ἀπομηθεῖς. Theophanes videlicet Artemium ducem autumat supplicio non martyrio, immo (ni fallor) Alexandriae nedum Antiochiæ, occubuisse. Unde conicere licet fabulam nostram sæculo nono ineunti posteriorem esse.

Primus omnium Georgius ille Cedrenus, qui historiam mundi contexit a mundi creatione ad annum Christi 1057, quique iure creditur sæculo undecimo floruisse, Artemii martyrium memorat. Postquam enim Theophanis locum recitavit — Ἀρτέμιος δὲ ὁ δούξ Ἀλεξανδρείας, ἐπειδὴ περ ἐπὶ τοῦ Κωνσταντίου ζῆλον πολὺν ἐνεδείξατο ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κατὰ τῶν εἰδωλοατρούντων, ἐδημεύθη τὴν κεφαλὴν ἀπομηθεῖς, — subiungit: μετὰ πολλὰς βρασίνους ὑπὲρ τὴν εἰς Χριστὸν πίστει, ὁμοίως δὲ καὶ δύο πρεσβύτεροι Εὐγένιος καὶ Μακάριος. Hæc porro novissima verba pendent a passione Artemii quam Ioannes monachus edidit (capp. 25-34, 39). Unde conicere licet fabulam nostram sæculo undecimo exeunti priorem esse.

Sed et Basilius imperator (867-886) in *Menologio* quod condidisse dicitur aperte Artemii passionem a Ioanne monacho editam recitat. Refert nempe Artemium, a Constantino (*sic*) in patriciorum numerum adscriptum, cognita Iuliani crudelitate qua in Christianos Antiochiæ utebatur (puta Macarii et Eugenii supplicium), adiiisse principem et eius impietatem obiurgasse (capp. 35, 37), unde post varios cruciatus toleratos (cap. 49) iussu principis fuisse saxo obrutum (cap. 60), dein vero gladio finem accepisse (capp. 64-67). Quibus constat Basilio imperatori ipsum Ioannis commentarium innotuisse.

His ita positis, affirmandum mihi videtur illud ipsum Ioannis

1. Theodoret. II. E., III, 18.

commentarium, a quo tota pendet nostri martyris fabula, fuisse in medium prolatum circa tertium vel quartum vel quintum decennium sæculi noni.

Si vero satis probe constat de ætate qua commentarius iste in medium prodiit, de origine Ioannis illius monachi cui dictus commentarius nuncupatur non ita scite decernendum est. — Angelus quidem cardinalis Maius censuit hunc commentarium esse opus genuinum Ioannis Damasceni quia, ut ait, Ioannis monachi nomine Damascenus appellari in codicibus solet. At Damascenus († 760 circ.) antiquior mihi videtur quam ut auctor commentarii nostri dici queat; et insuper docti cardinalis coniectura nullo nititur fundamento, cum sexcenti extiterint monachi hoc eodem Ioannis nomine decorati. — Nec magis assentior sententiæ auctorum Parisiensium qui, in suo catalogo codicum manuscriptorum Bibliothecæ Regiæ, censuere Ioannem nostrum fuisse Sardium episcopum. Novi equidem Ioannem quemdam Theodori Studitæ æqualem et infula sardensi decoratum, quem etiam auctorem dicunt fuisse aliquot encomiorum. At in codicibus Ioannes noster nec sardensis nec episcopus dicitur. — Quin etiam in codice Parisino 1510 Ioannes noster Rhodius appellatur. Quisquis vero sit Rhodius ille (aliunde nempe non noscitur), ex supradictis conicere certius est illum non octavo sed nono sæculo floruisse, nec Damasceni vel Studitæ æqualem esse, sed Photii.

His dictis, ordo postulat ut inquiram fontes e quibus Ioannes monachus materiam hausit sui commentarii.

Ipsè in commentarii sui procemio, non mediocri usus emphasi, hæc refert : « Multi historici Artemium memorant, scilicet Eusebius Pamphili, Socrates, Philostorgius, Theodoretus et alii plures ! » Immo : « Eusebius, temporibus Constantini Magni clarus et omnium tunc episcoporum doctissimus, dicit martyrem fuisse unum e senatoribus, et in domo imperatoria clarum, et familiarem Constantini ac Constantii, nec unquam a familiaritate Constantii avulsus fuit.... » Hæc dicta non levem mendacii suspicionem secum ferunt. Revera enim Artemius dux fuit Ægypti circa annum 356 et obiit circa annum 362 : Eusebius Pamphili vero, scribendi finem fecit circa annum 339, nec ullam antea occasionem nactus esse videtur Artemium ducem vel nominandi. Præterea Socrates et Sozomenus de Artemio silent. Theodoretus Artemii meminit, ut iam superius dixi; sed de illo paucissima admodum refert.

Quid autem sibi velit illud « alii plures », prorsus ignoro! At certe Ioannem monachum alicuius improbitatis in designandis auctoribus suis arguendum censeo. — Etiam in Philostorgio introducendo eadem improbitate utitur. Philostorgium enim in primis memorat, εἰ καί, inquit, διότιρος ἐραστής τῆς Εὐνοίου ὑπάρχει αἰρέσεως : Philostorgiumque recitat ὡς αἱ τῶν παλαιῶν διαγορεύουσι δέλτοι : Philostorgiumque vult prolixam Artemii retulisse historiam, ἐκ τῶν ἄνωθεν χρόνων τὴν τῷ μάρτυρι προσοῦσαν εὐγένειαν ὑποσημηνάμενος (cap. 4). At paulo post, cum ad genus Artemii referendum ventum est, πατρίδος καὶ γένους αὐτοῦ, inquit, ἀνάγραφτον μνήμην οὐδεὶς παρεδεδωκεν. — Monache, monache, mentiris imperite!

Fidem igitur non præstabimus monacho nostro affirmanti materiam commentarii sui e tot probatissimis scriptoribus hausisse. Legentibus nempe commentarius iste e triplici tantum fonte haustus videtur. Quidquid narratur (cap. 15-18) de translatione Constantinopolim reliquiarum ss. Andreae et Lucae sub Constantino imperatore, prodiisse videtur e speciali dictæ translationis narratione. Quidquid narratur de passione ss. Macarii et Eugenii, quidquid de Artemii constantia et eloquentia in tribunali, vulgare genus martyriorum olet, et non aliud est nisi pie rhetoricantis ingenii exercitatio. A tæ contra quidquid refertur : — de Constantini imperatoris obitu veneno pereuntis ex coniuratione fratrum (cap. 7); — de divisione imperii inter Constantini filios facta (cap. 8); — de Constantini iunioris et de Constantis obitu (cap. 9); — de signo crucis quod Hierosolymis in cælo visum est (cap. 11); — de Galli Cæsaris morte (cap. 12-16); — de Constantii imperatoris pietate (cap. 17); — de eiusdem obitu et de Iuliani Cæsaris accessu (cap. 19-21); — de Iuliani sævitiis in Christianos (21-24); — de oraculo Daphnes et de sancto Babylla (cap. 51-57); — de statua Christi Paneade et de templo Iudæorum Hierosolymis instaurato (cap. 57, 58, 68); — de Iuliani morte cruenta (cap. 69); — quidquid id est ex Philostorgii *Historia* haustum fuit.

Testis est differentia quæ interest inter genus scribendi Ioanni monacho consuetum ac proprium et genus scribendi quod in prædictis locis comparet, cum hoc humile sit et prolixum, illud vero phrasim comptius et magis coactum in sentiis. Testis melior etiam est collatio textus utriusque, unde apparet Ioannis textum

a Philostorgii textu pendere. Exempli gratia (cap. 12-16), postquam retulit Galli Cæsaris temeritatem et arrogantiam, et præfectum prætorio Dometianum nomine eius iussu enecatam, narrat Ioannes noster Gallum a Constantio fuisse accersitum, et reliqua :

Ioannes :

‘Ο δὲ Κωνσταντίος, ἐπειδὴ τάχιστα ἐπίθεται τὸ συμβάν, μεταπέμπτον ὡς ἑαυτὸν ἐποιεῖτο τὸν Γάλλον. ‘Ο δὲ εἰδὼς μὲν ὡς οὐκ ἐπ’ ἀγαθῷ τυγχάνει καλούμενος, ἐννοῶν δὲ πάλιν ὡς εἰ μὴ βούλοιοτο ὑπακούειν πόλεμον ἀνάγκη ποιεῖν ὅπλα πρὸς Κωνσταντίον ἐκ τοῦ εὐθέως ἀράμενον, αἰρεῖται μᾶλλον τὰ τῆς εἰρήνης, καὶ τὴν γυναῖκα προαποστείλας ὡς τὸν Κωνσταντίον ἐκμειλίσασθαι, καὶ αὐτὸς ἀπῆει αὐτόμολος ἐπὶ τὸν κίνδυνον. Ἦ μὲν οὖν Κωνσταντία προτέρα ἐξώρμησε προεντυχεῖν τῷ ἀδελφῷ καὶ αἰδέσασθαι αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ ἀνδρὸς προθυμουμένη τοῦ μὴ τι εἰς αὐτὸν βουλευσασθαι ἀνήκιστον. Πολλῇ δὲ προθυμίᾳ περὶ τὴν ὁδοιπορίαν χρωσμένη εἰς νόσον τε ἔπεσε μεταξὺ πορευομένη, καὶ Βιθυνίας ἐπιβάσα ἐν σταθμῷ τινὶ ταύτης Γαλλικάνῳ λεγομένῳ ἀπέθανεν. ‘Ο δὲ Γάλλος καὶ τοῦτο παράδοξον αὐτῷ συμβάν μεγάλην συμφορὰν ποιήσασθαι, ὁμῶς τῶν δεδογμένων οὐκ ἐξιστάμενος, εἰς Νωρικοὺς ἀφίκετο εἰς πόλιν αὐτῶν Πυταβιῶνα καλουμένην. Ἐνταῦθα δὲ ἀπὸ Μεδιολάνου καταπέμπεται στρατηγὸς Βαρβατίων, ἐκεί τοῦ Κωνσταντίου τὸ τνηκαῦτα τυγχάνοντος, ὃς τὸν Γάλλον ἀφαιρεῖται τῆς ἀλουργίδος, καὶ εἰς ἰδιώτην μετασκευάσας, ἐξόριστον αὐτὸν εἰς τινα νῆσον τῆς Δαλματίας κατέστησε. κ. τ. λ.

Philostorgius (ex ore Photii) :

‘Ο Κωνσταντίος μαθὼν τὰ περὶ Μόντιον καὶ Δομετιανὸν συνενεχθέντα, καὶ ὀργῆς ἀναπλησθεὶς, μετκαλεῖτο τὸν Γάλλον. ‘Ο δὲ τὴν μὲν κλήσιν οὐκ ἐπ’ ἀγαθῷ συλλαβὼν, εὐλαβοῦμενος δὲ μὴ πόλεμος ἀπειθήσαντος συρραγῆ, τοῦ προστάγματος γίνεται. Προεξώρμα δὲ καὶ ἡ Κωνσταντία, προεντυχεῖν σπεύδουσα τῷ ἀδελφῷ, καὶ αἰδέσασθαι αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ ἀνδρὸς. Ἄλλ’ αὕτη μὲν κατὰ Βιθυνίαν γενομένη ἐπεσχέθη τῷ θανάτῳ καὶ τῆς ὁδοῦ καὶ τοῦ βίου. Ἐξ οὗ καὶ ὁ Γάλλος μᾶλλον τοῦ δέους γενόμενος τὴν ἐξ ἀρχῆς γνώμην ὁμῶς οὐ μεθίετο. Συναπῆει δ’ αὐτῷ καὶ Θεόφιλος ὁ Ἰνδός. Ἐπεὶ δὲ τοὺς Νωρικοὺς κατέλαβεν, ἐνταῦθα δὲ ἐκ Μεδιολάνων, ἔνθα διῆγεν ὁ Κωνσταντίος, καταπέμπεται Βαρβατίων, ἀνὴρ τὴν στρατηγικὴν ἔχων ἀρχήν, ἐφ’ ᾧ τὸν Γάλλον ἀπελεύσθαι μὲν τῆς ἀλουργίδος, ὑπερόριον δὲ κατὰ τινα νῆσον τῆς Δαλματίας ποιήσασθαι. κ. τ. λ.

Utriusque excerptoris, Photii nempe et Ioannis, patet concordia : eundem videlicet Philostorgianæ historiæ textum præ oculis ambo habuere.

Similem collationem instituere est inter

Philostorg.	II, 16 = Io., 7.
»	III, 1 = » 9.
»	III, 2 = » 17.
»	III, 26 = » 11.
»	III, 25, 27, 28, = » 12-16.
»	VI, 5-7, = » 19-21.
»	VII, 1, = » 21-24.
»	VII, 3-4 = » 57.
»	VII, 8-12 = » 54-57, 58, 68.
»	VII, 15 = » 69.

Porro hæc excerpta Philostorgiana quæ apud Ioannem colligere licet, ipse collegi denuo in dissertatione superius designata (*Römische Quartalschrift*, ann. 1889, p. 258-286). Et dictorum excerptorum editionem criticam in præsentī dissertatione edendam parabam, adhibitis codicibus sequentibus: — *Vatican. gr.*, numeri incerti, a quo Angelus cardinalis Maius textum Ioannis denuo iuris publici fecit; — *Parisino gr.* 1510, sæc. XII; — *Parisino gr.* 1546, sæc. XII; — cum binos codices in bibliotheca Moscuensi latentes reperi, quos conferendi copia mihi data in tempore opportuno non est. Pendet opus interruptum.

* *

Iam vero absoluturus inquisitionem meam de textu Philostorgianæ historiæ, quem nobis tum Photius tum Ioannes tum Suidas in forma excerptorum tradidere, ab aliquo interrogabor utrum hi excerptores textui genuino fideles fuerint an non, videlicet utrum talia excerpta nobis præbeant textum sat sincerum Philostorgii.

Responsum ambiguum prorsus est.

Collatis enim tum Photii tum Ioannis excerptis, certo quidem certius est utrumquæ præ oculis habuisse textum Philostorgianum eundem; at tamen illum unus et alter pro diversitate sive ingenii

sive propositi modo diverso recitarunt. Ioannes quidem, cum e Philostorgiana narratione suam narrationem texeret, ampla licentia usus est textum genuinum quoad voces et quoad structuram immutandi. Sed et Photius, in excerpando, plura videtur omisisse, quin etiam et structuram immutasse. Quod quidem manifestius etiam patebit si quid Photii excerptorum alicui Suidæ excerptorum contulerimus. Exempli gratia :

Photius :

Πατὴρ Ἰστωρίῳ ἢ ἐν κοίτῃ γέγονε Συρία. Τοῦ δὲ πατρὸς αὐτοῦ τῶν ἐν στρατείᾳ δυσπραγέστερον ἐνηνεγμένων, καὶ τὸν βίον ἐν τούτοις ἀπολιπόντος, τὴν μὲν οὐσίαν τὸν τηνικάδε ἄρχοντά φησι δημοσιεῦσαι. Νεὸν δὲ τὸν Ἰστωρίον ὄντα εἰς ἕσχατον σὺν τῇ μητρὶ πενίας ἐλάσαι, καὶ διὰ τοῦτο ἐπὶ τὸ χρυσοχοεῖν ὀρμησάσαι, ὡς ἂν ἀνωστέπως αὐτὸς τε καὶ ἡ γεννησαμένη διαβῶ. Ἀποχρώντως δὲ τῇ τέχνῃ κεχρημένον, διὰ βώμην φύσεως ἐπὶ τὰς λογικὰς ἐπιστραφῆναι μαθήσεις. Καὶ Παυλίνου μὲν ἀκροάσασθαι πρότερον, ὃς ἐκ τῆς ἐφορείας Τύρου εἰς τὴν τῆς Ἀντιοχείας μετέστη.

Suidas :

Ἰστωρίος ἐξ Ἀντιοχείας τῆς Συρίας, διδάσκαλος Εὐνομίου, ἀπὸ πενιχρῶν καὶ εὐτελῶν γονίων τυγχάνων. Ὁ δὲ πατήρ αὐτῶ τῶν ἐν στρατιᾷ δυσπραγέστερος ἐνελεγεμένον γενόμενος, ἐτεθνήκει κομιδῇ παιδα τοῦτον ἀφείξ. Αὐτὸς δὲ εἰς ἕσχατον ἀπορίας ἤκων, ἐπὶ χρυσοχοεῖαν ἐχώρησεν ἀκράτατός τε ἐγένετο. Ἐπὶ δὲ ἡ φύσις αὐτῶ μειζόνων ὠρέγετο μαθημάτων, πρὸς λογικὰς θεωρίας ἐτρέπτετο. Καὶ δῆτα συγγίνεται Παυλίνῳ, ἀρτίως ἀπὸ Τύρου εἰς Ἀντιόχειαν ἀφικομένῳ ἔτι κατὰ τοὺς Κωνσταντίνου χρόνους.

Ea est igitur utriusque discrepantia ut a neutro textus Philostorgianus proprie dici possit descriptus, sed potius sive amplificatus sive decurtatus et constantissime interpolatus et immutatus.

Quæ cum ita sint, si Photius et Ioannes et Suidas Philostorgii historica testimonia nobis servasse iure dicendi sunt, Philostorgii philologicam auctoritatem prorsus adulterasse constat.

Scribebam apud Sanctum-Petrum in Portu, id. iulii, 1891.

JUL 10 1973

[Handwritten signature]

BATIFFOL, Pierre	603.5
Quaestiones Philostorgian-	P45.9
ae...	B333qu
	1891

